BIBLIOTHECA FRANCISCANA

ASCETICA

MEDII AEVI

Tom. IV.

BIBLIOTHECA FRANCISCANA ASCETICA MEDII AEVI

(Haec collectio complectitur opuscula ascetica et mystica, quae scriptores ordinis minorum medii aevi lingua latina scripserunt).

TOMUS I. **Opuscula S. P. Francisci Assisiensis.**
In 16° pag. XVI-209. . . . . . L. 1 50

TOMUS II. **Speculum Beatae Mariae Virginis.**
In 16° pag. XXVIII-281. . . . . » 2 —

TOMUS III. **Dicta B. Aegidii Assisiensis.** *Sub prelo.*

TOMUS IV. **Stimulus Amoris** Fr. Iacobi Mediolanensis — **Canticum pauperis** Fr. Ioannis Peckam. In 16° pag. XX-205. . . » 1 50

STIMULUS AMORIS

FR. IACOBI MEDIOLANENSIS

CANTICUM PAUPERIS

FR. IOANNIS PECKAM

SEC. CODICES MSS. EDITA

a PP. Collegii S. Bonaventurae



AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)
PROPE FLORENTIAM
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE
1905.

PRAEFATIO

Hoc quarto tomo offerimus lectoribus duos tractatus saeculi XIII: *Stimulum amoris* et *Canticum pauperis pro dilecto,* qui hucusque typis nondum dati sunt. Prior conscriptus est a fratre *Iacobo Mediolanensi,* alter a celebri magistro *Ioanne Peckam.* Uterque auctor sententias a S. Bonaventura acceptas suo modo transformavit (1); unde rationem sumsimus eos in hoc libello adunandi.

1) Cfr. notas huius editionis.

I. De Stimulo amoris.

1. *Plures Stimuli amoris.* — In codicibus medii aevi plures et diversi inveniuntur tractatus ascetici sub titulo *Stimulus amoris* (1).

In cod. 491 (saec. XIII) bibliothecae universitatis *Erlangen* habetur (fol. 21 v - 25 v) tractatus « editus a quodam abbate Cysterciensis ordinis », qui incipit *Iesum Nazarenum a Iudaeis innocenter condemnatum* et desinit *a solis ortu usque ad occasum per omnia saecula saeculorum. Amen. Explicit liber, qui dicitur Stimulus amoris.* Editus est inter opera S. Bernardi (P. L. 184, 933) et S. Anselmi (P. L. 158, 748).

Alius *Stimulus amoris* exstat in cod. 1916 (saec. XIV) bibliothecae *Trecensis* (fol. 39 r); incipit *Amor sponte cor afficit;* desinit *sine eo non proficit, sed delirat et*

1) Ex *Collectaneis P. Fidelis a Fanna* (Ms. Collegii S. Bonaventurae ad Claras Aquas).

deficit... fiunt omnia. Maior pars huius tractatus desumta est ex sermone LXXXIII S. Bernardi *Super Cantica* (P. L. 183, 1181).

In codicibus saeculi XIII exeuntis et deinceps habetur alius *Stimulus,* cuius caput primum incipit verbis *Primo studeat, quantum possit.* Est *Stimulus* ille, qui in hoc libello offertur; evulgatur hic *prima vice* in forma originali; ast ex saeculo XIV omnia eius capitula ordine inverso in aliam compilationem, de qua statim erit sermo, inserta sunt.

Magis notus est *Stimulus* ille, qui incipit *Currite undique, gentes, et miramini.* Exstat in permultis codicibus saeculi XIV et XV, et ipse ordinarie intelligitur sub titulo *Stimulus amoris.* Pluries iam evulgatus est, etiam inter opera D. Bonaventurae (1); at « ipsa sua indole et orationis

1) Immo sub D. Bonaventurae nomine duo *Stimuli* sunt evulgati: ille, de quo hic loquimur, qui praeter alia exstat in editione Vaticana (t. VII pag. 205 sqq.) et Parisiensi (t. XII pag. 631 sqq.), et alius, qui impressus est Brixiae 1495 et Venetiis 1572. Incipiunt cum eodem capi-

forma se manifestat alienum a Bonaventura, licet auctor multa e scriptis illius vel illi tributis acceperit (1)».

Apud auctores, qui de *Stimulo amoris* egerunt, magna habetur confusio, quae oritur praecipue ex eo, quod non attenderunt, illas duas satis affines compilationes eodem sub titulo, immo cum eodem prologo circumferri; prologus *Ad te, Domine, levavi animam meam* et alter *Transfige, dulcissime Domine Iesu, medullas* utrique *Stimulo* praemittitur; differentia vero est haec, quod prior habet capita 23, cuius primum incipit *Primo studeat, quantum possit;* alterius vero in duas vel tres partes divisi primum caput incipere diximus *Currite undique, gentes, et miramini.*

Prior compositus est a fratre Iacobo Mediolanensi et in hoc libello evulgatur. De alterius auctore differunt codices et disputant

tulo; at prior habet 3 partes, alter 2; prior capitula *Stimuli* nostri omnia et invariata recepit; alter non omnia habet, immo textum pluries mutavit.

1) S. Bonaventurae Opera omnia, t. X pag. 23.

auctores, nec ad nos spectat hac de quaestione agere (1); est compilatio saeculi XIV, quam omnia capita *Stimuli* primi aliis intermixta et ordine inverso exhibere iam dictum est.

2. *De auctore nostri Stimuli.* — Auctorem *Stimuli* nostri cum Sbaralea (2) aliisque esse diximus fr. Iacobum Mediolanensem. In codice 10 plut. XIX dextr. bibliothecae Mediceae Laurentianae circa 1300 scripto legimus: « Incipit prologus in librum compositum a fratre Iacobo, lectore Mediolanensi, de ordine fratrum minorum (3) »; concordat Pisanus, qui in libro *Conformitatum* fructu VIII agens de scriptoribus ordinis scribit: « Tractatum *Transfige* devotum composuit quidam lector Mediolanensis »; concordat pariter ipsius libri auctor, qui se in prologo

1) Cfr. Douais, *De l'Auteur du Stimulus amoris,* Paris 1885. Plura etiam apud Sbaralea, *Supplementum ad Scriptores trium Ordinum S. Francisci,* pag. 161 et 334 (sub *Henricus de Balma*).

2) L. c. pag. 372.

3) Cfr. Bandini, *Catalogus codicum latinorum bibliothecae Mediceae Laurentianae,* t. IV pag. 561.

*

supplantatorem vocari dicit (« nomine tamen supplantatore vocato »); at notum est, D. Hieronymum aliosque antiquos interpretes *Iacobum* interpretari supplantatorem (1).

Notitias de vita auctoris frustra apud antiquos investigavimus. Ex aetate codicum elucet, *Stimulum* iam saeculo XIII exeunte fuisse conscriptum; plura vero *Stimuli* capita aperte produnt, auctorem scripta D. Bonaventurae prae manibus habuisse; unde fr. Iacobum in secunda saeculi XIII parte vixisse deducimus.

3. *De materia et utilitate libri.* — « Auctor sententias a Bonaventura acceptas suo modo affectuoso transformavit (2) ». Plura ad verbum ex ipsius scriptis depromsit; oratio e. g. *Transfige,* quae sequitur prologum, et alia oratio, quam in fine primi capituli posuit, maiore ex parte inveniuntur in S. Bonaventurae *Soliloquia,* c. 1. Alia quoad doctrinam conveniunt scriptis doctoris sera-

1) Cfr. Hieron., *De nom. hebr.* (Migne P. L. 23, 781).
2) S. Bonaventurae Opera omnia, t. VIII pag. CXII.

phici, prout in notis indicavimus. Hinc satis explicatur, cur plures codices et auctores opusculum ipsi S. Bonaventurae attribuerunt.

Opusculum agit de perfectione, de eius impedimentis et de complemento illius in contemplatione. Doctrina est sana et profunda. A veritate minime alienum videtur, quod in codice lat. 5159 bibliothecae regiae Monacensis (fol. 43 r in margine superiore) antiqua manus addidit: « Iste liber meo iudicio potest vocari liber vitae et compendium compendiorum doctrinae totius beatitudinis ». « Ludovicus Granatensis eumdem haud minus quam S. Augustini Meditationes commendavit; S. Franciscus Salesius ipsum excellentissimum dixit (1) ». Forma aliquando minus placet, eamque affectatam, immo ordinariam iure vocabis; aliquando est pulcherrima, plena intimo fervore; nonnullae partes — e. g. *Meditatio in parasceve* (c. 15) —

---

1) Peltier in ed. Paris. operum S. Bonav., t. XII pag. XLVI; proprie quidem haec dixerunt de *Stimulo* maiore, cuius proprium valorem efficit *Stimulus* minor ipsi insertus.

inter pulchriora enumerari possunt, quae theologia mystica medii aevi produxit.

Iam diximus, compilatorem alterius *Stimuli* totum nostrum tractatum diversis locis suo libello inseruisse; modus, quo egit, ex hac tabula satis perspicitur.

Stimuli minoris			Stimuli maioris				
caput	1		est partis	II	caput	1
		oratio	in partis	I	capite	2
caput	2		est »	III	caput	3
»	3		»	III	»	13
»	4		»	III	»	1
»	5		»	III	»	10
»	6		»	III	»	12
»	7		»	II	»	4
»	8		»	III	»	5
»	9		»	III	»	6
»	10		»	II	»	5
»	11		»	III	»	8
»	12		»	III	»	11
»	13		»	III	»	14, 15
»	14		»	I	»	1
»	15		»	I	»	3
»	16		»	III	»	9
»	17		»	II	»	2
»	18		»	II	»	6
»	19		»	III	»	2
»	20		»	II	»	3
»	21		»	II	»	10
»	22		»	II	»	9
»	23		»	III	»	4

Alia capita, quae adiunxit, ex diversis locis depromsit. Notandum est, quod plura ex capitulis adiunctis in nonnullis codicibus immediate *Stimulum* minorem sequuntur. In cod. e. g. Laurentiano iam memorato *Stimulum* subsequitur *Meditatio super Salve Regina* (1), *Verba intimi amatoris B. Bernardi* (est hymnus *Dulcis Iesu memoria*), *Sermo de modo vivendi* (2), tractatus *Qualiter homo debeat niti ad compatiendum Domino Iesu Christo* et *Qualiter sacerdos debet esse ordinatus in missa,* quae fere omnia in *Stimulum* maiorem sunt recepta (3).

In aliis vero codicibus clare finis *Stimuli* nostri indicatur; codex e. g. Monacensis iam nominatus et codex 493 bibliothecae civitatis Moguntinensis post caput 23 habent: « Hic completur liber »; et ipse rerum ordo et tenor separationem capitum illorum a *Stimulo* expostulat.

1) Cfr. Migne P. L. 149, 583 (et notitiam historicam et litterariam, ib. 435).

2) Est sermo S. Bonav., Opera omnia, t. IX p. 724.

3) Cfr. p. I c. 2; p. II c. 17; p. III c 19.

4. *De ratione nostrae editionis.* — Magna in codicibus habetur differentia circa numerum et ordinem capitulorum, nec facile hanc difficultatem superare potuimus. Tres vetustiores codices, quos invenimus, ubique conveniunt; sunt iam nominati:

1. Cod. lat. 5159 bibl. regiae Monacensis membr. saec. XIII.

2. Cod. 10 plut. XIX dextr. bibl. Mediceae Laurentianae membr. scriptus circa 1300.

3. Cod. 498 bibl. civit. Moguntinae, membr. saec. XIII/XIV; qui codex magnam habet affinitatem cum codice dicto Monacensi.

Alii codices habent eadem capitula ac tres supra nominati, at ordine parumper inverso; codex e. g. 153 bibl. regiae Erfordiensis (saec. XIV) hunc capitum habet ordinem: 1-18; 22; 21; 23; 19.

Codex 241 bibl. academiae Traiecti ad Rhenum (saec. XV) habet *Stimulum* nostrum cum eodem capitum ordine et numero, cui addit in fine caput *Ad compatiendum* (1).

1) *Stimuli* maioris p. I c. 2.

Nonnulli deinde codices addunt duo capitula, nempe *Ad compatiendum* et *Praeparatio ad missam* (1); et quidem vel in fine *Stimuli,* in quo retinent ordinem nostrum, ut codex Vaticanus 7690 et codex 6 M 26 bibl. seminarii Leodiensis (saec. XIV); vel inter *Stimuli* capita diversimode composita. Codex e. g. Moguntinus 597 (saec. XIV) hunc habet ordinem: 1-11; 16; 12; 14; *Ad compatiendum;* 15; 17; 13; *Praeparatio ad missam;* 18; 21; 23; 22; 19; 20. Codex vero 76 bibl. capituli Tridentini (saec. XV) ordinem affert sequentem: 1-14; *Ad compatiendum;* 15; 16; 17; *Praeparatio ad missam;* 18; 21; 23; 22.

Alii porro codices praeter duo dicta capitula addunt *Sermo de modo vivendi* (2); inter quos nominamus cod. B VIII-32 bibl. civit. Basileensis (saec. XIV) et cod. 1520-1542 bibl. regiae Bruxellensis (saec. XV). Prior codex hunc habet capitum ordinem:

---

1) Ibid. p. II c. 17.

2) Cfr. pag. XIII not. 2.

1; *Transfige;* 2; 3; 4; 6; 10; *Sermo de modo vivendi;* 14; 15; *Praeparatio ad missam;* 20; 21; 22; 23; *Ad compatiendum;* 8; 9; 11; 12; 13; 16; 17; 18; 19. Alter vero hoc ordine capita exhibet: 1-7; 10; *Sermo de modo vivendi;* 14; 15; *Praeparatio ad missam;* 20; 21; 22; 23; *Ad compatiendum;* 9; 11; 12; 13; 16; 17; 18; 19; sequuntur plures orationes.

In pluribus aliis codicibus exstant fragmenta nostri *Stimuli;* praesertim *caput primum* aliquando invenitur *solum,* quod etiam pluries adiuncto prologo uti opusculum D. Bonaventurae impressum est cum titulo *De remedio defectuum religiosi* (1).

In tanta codicum differentia magnopere laborem nostrum adiuvit animadvertisse, codices tres vetustiores plane inter se convenire; unde ipsos tuta securaque fiducia in nostra editione sequendos censuimus. Magis haesitavimus de capite, quod incipit *Ad compatiendum,* cum *Stimulum* nostrum miro

1) Cfr. Opera omnia, t. VIII pag. CXV.

modo comitetur; cum vero duo ex illis tribus codicibus illud satis clare discernant ab ipso *Stimulo*, tertius vero codex, Laurentianus, illi praemittat capita proculdubio spuria (cfr. pag. XIII), illud eliminandum duximus.

II. De Cantico pauperis pro dilecto.

1. *Materia opusculi.* — Inter opera ascetica et mystica D. Bonaventurae magni semper habebantur ea, quae de defendenda et exponenda religione fratrum minorum scripsit. *Apologia* praesertim *pauperum* et *Expositio super regulam fratrum minorum* propter profundam doctrinam et summam prudentiam persaepe ab auctoribus sunt adhibitae.

Primus fortasse, qui magnum horum usum fecit, est celeberrimus frater *Ioannes Peckam,* discipulus D. Bonaventurae, magister sacrae theologiae, lector curiae romanae, archiepiscopus Cantuariensis. In opusculo, quod vocavit *Canticum pauperis pro dilecto,* in medium ducit « probatissimum Seniorem, qui

sibi pro zona assumserat funiculum, pro crispanti crine calvitium et cilicium pro fascia pectorali », qui ipsi regulam et vitam fratrum minorum exposuit et difficultates oblatas solvit. Uti comparatio responsionum cum scriptis doctoris seraphici clare evincit, *Senior* ille est ipse sanctus Bonaventura; omnes enim responsiones, quas *Senior* dat, ad verbum fere leguntur in operibus ipsius, praesertim in duabus, quas supra nominavimus. Opusculum est explicatio, defensio, commendatio regulae et vitae fratrum minorum ex verbis D. Bonaventurae a suo discipulo ingenue contexta.

In fine « vitae formam breviter » exhibens spiritum et praecepta paucis verbis, at perpulchre, exponit, quae proculdubio multum placebunt lectori.

2. *Auctorem opusculi* esse fratrem Ioannem Peckam omnes fere codices testantur, nec ullus alium nominat auctorem (1).

1) De vita ipsius cfr. Brewer, ***Monumenta Franciscana***, t. I (London 1858); ***Chronica XXIV generalium*** in Ana-

Cum D. Bonaventura *Apologiam pauperum* non ante annum 1269 scripserit (1), frater Ioannes vero anno 1279 ad sedem Cantuariensem promotus sit, inter hosce annos compilationem opusculi ponere licebit.

3. *Edidimus opusculum* secundum Cod. 684 bibl. civit. Assisiensis (saec. XIV), Cod. 3 plut. XXX sin. (saec. XIV), et Cod. 12 plut. XV dextr. (saec. XIII/XIV) bibl. Mediceae Laurentianae.

Exstat etiam:

Basileae, bibl. civit., cod. A II 33 saec. XIV fol. 79 r.

Berolini, bibl. regia, cod. lat. 129 in fol. saec. XV fol. 242 r.

Romae, bibl. Vaticana, cod. Ottob. 522 saec. XIV fol. 98 r.

Treviris, bibl. civit., cod. 776 fol. 119 v.

---

lecta Franciscana, t. III; Denifle, *Chartularium universitatis Parisiensis,* t. I. De operibus ipsius Sbaralea l. c. pag. 447 et *De humanae cognitionis ratione* (Ad Claras Aquas 1883), pag. XV. Epistolae ipsius habentur in *Rerum Britannicarum medii aevi scriptores,* t. 77.

1) Cfr. Opera omnia, t. VIII pag. 233 not. 4.

Ultima pars opusculi (a *Vitae tandem formam*, pag. 197, usque ad *domesticis abdicatis*, pag. 205) invenitur sub titulo *Forma vivendi*:

Romae, Coll. S. Antonii, cod. non sign. membr. saec. XIV fol. 79 v (1);

Ibid., Coll. S. Isidori, cod. 1/73 membr. saec. XIV fol. 112 v (2).

---

1) Cfr. Lemmens, *Documenta antiqua Franciscana*, p. III pag. 72.

2) Cfr. Lemmens, l. c. pag. 65.

Ad Claras Aquas, die 1 Ian. 1905.

PP. EDITORES.

Stimulus Amoris

PROLOGUS.

Ad te levavi animam meam, Deus meus (1), confisus de tua liberalissima pietate, allectus mira et suavissima odoris tui suavitate ac tractus infrangibili vinculo tuae ardentissimae caritatis. *Ad te, qui habitas in caelis, levavi oculos meos* (2), splendore *Solis iustitiae* delectatus, claritatis tuae lumine provocatus, avide requirens speciosissimum decorem amantissimi vultus tui. Sollicitant me intima, quae tibi in me placita cupias, quid a

1) Ps. 24, 1.
2) Ps. 122, 1.

me indigno servo acceptabilius requiras, qualiter tanto Domino digne valeam famulari.

Ad tuum igitur honorem erectus, amici prece inductus, zelo interno coactus, qualiter quisque te studiose quaerere debeat, qualiter invenire valeat, qualiter etiam ad te possit accedere et strictis tenere amplexibus, quibusdam meditationibus aliqualiter declarare praesumam; in quibus, etsi diversae chordae tanguntur, ad unum redactae puris auribus unam perficiunt melodiam. Quamvis enim diversae et .plurimae materiae in diversis capitulis describantur, tamen nihil inde resonat, nisi perfectio animi ad divinum honorem. Si quid aliud inveneris, pie lector, benigne corrigas et non rodas, quia non malitia, sed simplicitas est in causa. Diversum namque modum procedendi invenies in eis, ut diversitate modi et materiae lectoris fastidium temperetur, et eius anima ad caelestia cautius elevetur variis illustrata radiis, cibis refecta diversis, multiplici varietate allecta.

Tu autem, mi frater *Ioannes*, qui *Eucharis* appellaris, accipe munusculum, quod a me indigno, nomine tamen *Supplantatore* vocato, saepe tua humilis caritas et caritativa humilitas postulavit; nec irrideas simplicitatem meam, sed potius mihi tanquam parvulo balbutienti et infantilibus artu-

bus gestienti, sicut pia mater congaudendo arride. Scio namque, quod simplicitatem diligas et fercula etiam rusticana sapide quodam famelico appetitu degustes. Insatiabile enim est desiderium tuum, et avide apprehendis oblata. Aperi ergo cor tuum, et tibi quamvis rudia incorpora infrascripta. Ipsa enim praeservativa sunt et conservativa humidi radicalis, quia ea de ligno vitae suscepi. Cave etiam, ne lignum scientiae te revocet ab hoc esu, et nudus verearis apparere coram Christo, insipidaque tibi sapida et sapida insipida videantur.

Hic vero modum vivendi, orandi, meditandi inveniet vir devotus. In istis excitatur perfectus ad arduorum aggressum, ad adversorum congressum et ad supernorum ingressum. In his iustus ab infimis eripitur, ad intima colligitur, ad summa erigitur cum dulcore. Qui ergo voluerit usque ad perfectum crescere legat et impleat quae subscribam Crucifixi gratia irrigante.

Oratio.

« Transfige, dulcissime Domine Iesu Christe, medullas animae meae suavissimo ac saluberrimo vulnere amoris tui. Vulnera viscera animae meae vera et fraterna et apostolica caritate, ut vere ar-

deat et langueat, liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui. Concupiscat et *deficiat anima mea in atria tua* (1), cupiat *dissolvi et esse tecum*. Da, ut anima mea te solum semper esuriat, panem vitae caelestis, qui de caelo descendisti, panem angelorum, qui es refectio animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum et supersubstantialem, *habentem omnem dulcedinem et omnem saporem et omne delectamentum suavitatis*. Te, in quem desiderant angeli prospicere, te semper esuriat et comedat cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae. Te semper sitiat fontem vitae, fontem sapientiae, fontem scientiae, fontem aeterni luminis, torrentem voluptatis ubertatis domus Dei. Te semper ambiat, te quaerat, te inveniat (2) », ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur et de te loquatur et omnia operetur in laudem et gloriam dulcissimi nominis tui cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et effectu (3), cum patientia et pace et profectu et per-

1) Respicitur Ps. 83, 3 et dein Phil. 1, 23 et Sap. 16, 20 et 21.

2) Cfr. Bonav., *Soliloq.*, c. 1 n. 18.

3) Alii *affectu*.

severantia usque in finem; ut tu solus semper sis mihi omnia in omnibus, semper sis mihi tota spes mea, fiducia mea, divitiae meae, deliciae meae, delectatio mea, gaudium meum, iucunditas mea, quies mea, tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, amor meus, meditatio mea, sustentatio mea, exspectatio mea, refugium meum, auxilium meum, patientia mea, sapientia mea, possessio (1) mea, thesaurus meus, in quo solo fixa et firma et immobiliter radicata sit semper mens mea et cor meum. Amen (2).

---

1) L *passio.*

2) L cum aliis addit: *O lector, quando tibi haec optaveris, opta et mihi.*

Caput I.

Qualiter homo possit amplius in bono proficere et Deo magis placere (1).

Primo studeat, quantum possit, se vilissimum reputare et indignum omni beneficio Dei. Sibi displiceat, soli Deo placere cupiat; ab aliis velit vilis, non humilis reputari. Et ex hoc summam Dei clementiam recognoscat, quod stercus sic vilissimum, in omnibus infidelissimum, ad immensae maiestatis iniuriam promptissimum, dignatur in servum sibi assumere et, quod maius est, in filium adoptare. Non ergo reputes magnum,

1) Hoc caput habetur etiam inter opera spuria *S. Bernardi* cum titulo: *Instructio. Quomodo homo possit in bono proficere et placere Deo;* cfr. Migne, P. L. t. 184 col. 1171. — Pluries convenit *Epistolae S. Bonaventurae de XXV memorialibus;* cfr. Opera omnia, t. VIII pag. 491-498.

quod Deo servis, sed maximum reputa, quod ipse dignatur habere sic insufficientem et miserum servientem.

Quod non debet dolere de malo poenae, sed culpae.

Secundo, ut de nihilo, nisi de peccato et ad peccatum inducente et a bono retrahente doleat, immo de quacumque alia tribulatione, iniuria et afflictione gaudeat, inferentes intime diligat et specialem orationem pro eis faciat, Deo inde copiosas laudes referat et ad regratiandum de tanto beneficio insufficientem se recognoscat, quia *quem Deus diligit corrigit* (1) et castigat, et « ipsae tribulationes nos ad Deum ire compellunt ».

Quod paupertatem diligat et omnem penuriam propter Christum.

Tertio, ut de temporalibus nihil nisi stricte necessitatem suam requirat aut quocumque modo appetat, sed Christo capiti in paupertate et in

1) Prov. 3, 12. — Sequens locus est Gregorii, XXVI *Moral.* c. 13 n. 21.

omnis consolationis corporis deiectione se studeat conformare. Et hoc debet maximum reputare, quod *Rex regum et Dominus dominantium* (1), Christus, servum sic vilissimum suis dignatur induere ornamentis et sibi lutum foetidissimum similare; ideoque, quanto videt se ditiorem et in pluribus corporis consolationibus abundare, tanto debet intimius et profundius contristari, cernens se eo magis a Christi similitudine elongatum.

Quod in his, quae non sunt contra Deum, libentius obtemperet alteri quam sibi.

Quarto, ut in bonis et indifferentibus alterius potius quam suam adimplere studeat voluntatem, immo semper suam in exterioribus actibus studeat abnegare, aliorum beneplacita affectans cum omni vigilantia in licitis adimplere. Et, si hoc circa omnes facere debeat, suorum superiorum praecipue debet obedientiam totis mentis visceribus amplexari et, quaecumque dixerint honesta aut velle fieri signo aliquo intimaverint, debet pro posse suo cum magno desiderio effectui mancipare.

1) I Tim. 6, 15.

Quod miseros non despiciat, sed opera eis impendat.

Quinto, ut nullum quantumcumque miserum despiciat, sed erga omnes potius materno moveatur affectu, et sic omnibus compatiatur intime, sicut compateretur mater unico filio praedilecto (1). Omnes eorum miserias reputet esse suas et sicut sibimetipsi sic debet omnibus, si tamen poterit, subvenire. Et, quamvis in compatiendo et ministrando debeat erga omnes maternaliter se habere, debet tamen omnes tanquam patres et dominos revereri.

Quod nullum iudicet de occultis, sed magis doleat.

Sexto, ut nullum iudicet de peccato, cum ignoret, quid divina gratia in anima operetur; sed si aliquem per signa manifesta coniecerit peccatorem, plus de peccato illius doleat, quam si proprio corpori mors millies inferretur. Reco-

1) Respicitur II Reg. 1, 26: « Sicut mater unicum amat filium suum » etc.

gitet, quod pretiosior est anima, quae sic letaliter vulneratur, quam omnia corpora universi tam hominum quam caelorum. Et ideo, sicut corpus meum a morte, sic, immo multo magis, deberem proximum meum cum omni vigilantia custodire et a peccato retrahere oratione, exhortatione et exemplo.

Quod affectu materno gaudeat de bonis aliorum, sicut de ipsius.

Septimo, ut bonum proximi diligat sicut suum, et sicut mater in bonis filii iucundatur, sic in bonis deberet omnium viventium iucundari, et maxime de his, quae spiritualia sunt et ad spiritualia inductiva; et sic, acsi sua essent, deberet aliorum bona procurare et procurata sollicite promovere, et semper plura et maiora bona debet de proximo credere, quam valeat intueri; debet nihilominus de bonis temporalibus proximi non modicum sibi congaudere.

Quod nihil diligat nisi Deum aut pure propter Deum.

Octavo, ut nihil praeter Deum diligat aut pure propter Deum, ut in omnibus solus Deus

sinceriter sine socio diligatur. Nec eum alliciat quantulacumque sanctitas alicuius aut beneficiorum immensitas, ut aliquem amore diligat singulari, sed amore communi, scilicet caritate, omnes in Deum referens magis diligat meliorem. Potest tamen beneficia pro beneficiis rependere et pro benefactoribus et propinquis et praecipue pro parentibus orationem coram Deo ad salutem animarum effundere specialem.

Quod semper Deum habeat actu in corde.

Nono, ut, quidquid faciat et quibuscumque negotiis implicetur, Deum actu in corde habeat et nihil aliud quam honorem suum in omnibus actualiter seu habitualiter intendat. Sed ad hoc praecipue nitatur, ut sic praesentem semper Deum intelligat, acsi ipsum, ubi praesens est, in sua essentia videret; sicque eum timeat, revereatur et intenso amore in ipsum feratur eoque, prout potest, in via fruatur et in ipso et non in alio requiescat.

Quod recognoscat beneficia Creatoris.

Decimo, ut, si praedicta assequi potest, esse Dei maxima beneficia recognoscat. Debet et ce-

terorum beneficiorum innumerabilium, secundum quod poterit, reminisci et praecipue, quod sua eum voluit imagine insignire eiusque naturam assumere et se pro ipso morti tradere, sibi in via in cibum et in gloria in praemium tribuere semetipsum. Et quia nondum est eum assecutus in praemio, tandem in via aspiciat eum in patibulo sicque sibi compatiatur, acsi omnia eius vulnera in suo corpore sustineret. Et de hoc praecipue debet dolere, quia tot videt frustrari beneficio sic immenso. Cernat ipsum denique in altario exhibitum sibi in cibum et potum *omnis saporis suavitatem habentem* (1); et in ipso toto affectu se delectans clamet et dicat:

Domine Iesu Christe, tu, qui es *panis vitae*, ita me de te satiare dignare, ut nihil praeter te esuriam; ita me de te inebriare dignare, ut nihil praeter te sitiam. Tene, Domine, mentem meam, ne, interveniente umbra terrae, a te, vero *Sole iustitiae*, separetur.

Matri autem eius omnem, quam poterit, reverentiam exhibebit et dicet:

Dulcissime Iesu, dignare me infimum omnium peccatorum matri tuae reverentiam debitam exhi-

1) Respicitur Sap. 16, 20; dein Mal. 4, 2 et Ioan. 6, 48.

bere. Et tu, clementissima Domina, mihi indignissimo peccatori impetra, ut perfecte sim tuae deditus servituti et tibi omni tempore obsequar pura mente et corde devoto continue tuae benignitati assistam. Amen.

Oratio de passione Domini.

Domine Iesu Christe, cor meum tuis vulneribus saucia et tuo sanguine inebria mentem meam, ut, quocumque me vertam, semper te videam crucifixum, et, quidquid aspexero, mihi tuo sanguine appareat rubricatum, ut sic totus in te tendens nihil praeter te valeam invenire, nihil nisi tua vulnera valeam intueri. Haec mihi sit consolatio tecum, mi Domine, vulnerari; haec intima sit mihi afflictio sub (1) te aliquid meditari. Non quiescat cor meum, bone Iesu, donec te inveniat, centrum suum; ibi cubet; ibi suum terminet appetitum. Amen.

1) M *sine te.*

Caput II.

Quod mirabile est, Deum gustantem posse affectare aliud.

Multum mirari debemus, immo nos non mirari miremur, quomodo homo semel degustans dulcedinem Dei potest ab ea aliquatenus separari, quomodo non obliviscitur omnia ex ebrietate nimia, etiam comedere et dormire. Et, si quid aliud ante ipsum ponatur, quomodo potest ibi aliud quam suum benignissimum Dominum intueri et in eo summa dulcedine oblectari, cum ipsum in omnibus sciat esse et in omnibus valeat invenire, ut in omnibus requiescat. *O quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde* (1)! *O quam dulcis et suavis est spiritus eius* in eis! O quanta amaritudine, quanta tristitia, quanta anxietate repleri deberet animus, qui etiam ad momentum a tanta dulcedine sequestratur.

---

1) Ps. 72, 1; dein respicitur Sap. 12, 1.

Caput III.

Ad reprimendam tentationem de praedestinatione et de praescientia.

Si de praedestinatione aut de praescientia Dei tibi aliqua subrepat cogitatio, sic responde diabolo talia propinanti: Quidquid sit de me, te certum est esse damnatum; sed, etsi ego praescitus sum et Deum meum habere non debeo post hanc vitam, totis meis viribus laborabo, ut saltem ipsum habeam in praesenti et ipsum possideam, quantum possim, ne in utroque statu caream tanto bono. Momentum igitur temporis de cetero non dimittam, quin secundum meum posse totaliter fruar ipso et semper in ipsa summa iucunditate delecter, ex quo aeternam miseriam assequi debeo (1) in futuro. Nunquid non mihi summa

1) M *aeternam misericordiam assequi non debeo.*

vesania esset, si certus sim, me aeternalibus ignibus cruciandum, me inimico tradere in praesenti et ex nunc incipere cum diabolo conversari? Nonne sufficiens est illa miseria? Quid me nunc miserum faciam ante tempus? Immo certe plus praedestinatis me Deo meo totaliter, prout potero, exhibebo, ut nihil sit in me, nec cor, nec lingua, nec cetera membra, quin continue sint in servitio Dei mei, et saltem, dum possum et quantum possum, habeam summum bonum.

Sicut enim saeculares, quia in quadragesima non debent carnes comedere, volunt in carnisprivio carnibus abundare, sic de Deo facere deberet qui de sua praescientia esset certus. Et hoc praecipue faceret qui, *quam suavis est Dominus, degustaret* (1); ceteras enim delicias absynthium reputaret (2).

---

1) Ps. 33, 9.

2) M addit: « Quid levius vincitur quam Deus, qui solo amplexu cordis se et sua tribuit amplexanti, et quasi tunc praecipue violari videtur, cum a peccatore, suo inimico, quem reprobasse creditur, se et suum regnum solum in amplexibus permittit invadi. Non enim est sic peccator sic desperatus, si Dominum requirit et ipsum stringit mentis affectu, sicut debet, quin ipsum et suam patientiam valeat possidere. Bonum est ergo cum Domino nostro affectuosis luctari amplexibus, quia contra eius sententiam et

Sed quantumcumque, quod Deus me praesciverit, fiam certus, scio, quod se ipsum negare non potest. Eum igitur totis mentis visceribus amplexabor et ipsum stringens fortiter, si etiam *aurora apparuerit, nisi mihi benedixerit, non dimittam* (1); quodsi benedixerit, nec etiam tunc dimittam, et ita sine me recedere non valebit. Licitum est enim mihi sibi inferre violentiam in hac parte, cum ipse commendet illos, qui *caelorum regnum rapiunt violenter* (2).

Aut certe scio, quid faciam: In cavernis suorum vulnerum me abscondam ibique quietius latitabo, nec extra se me poterit invenire; et etiam exire compellere non decebit, quia dixit (3): *Qui venit ad me, non eum eiiciam foras.* Et sic condemnare me non poterit, nisi se voluerit vindicare. Aut ad matris suae pedes provolutus iacebo et, quod propter peccatores mater Dei facta sit, allegabo et, ut mihi veniam impetret, postulabo; nec repulsam ab ea pati potero, quia fons pietatis ab omnibus praedicatur. Ipsa enim non mise-

---

suum consilium non poterimus praevalere. Hoc tamen sua victoria est, quia procedit a sua nimia bonitate ».

1) Gen. 32, 26.

2) Matth. 11, 12.

3) Ioan. 6, 37.

reri ignorat et miseris non satisfacere nunquam scivit; nec credo, quod propter me novam velit addiscere lectionem. Ideoque ex compassione Maria ante suum Filium mecum, si dici potest, misera apparebit et mihi ad indulgendum quam citius suum unicum Filium inclinabit. Et sic triplex habeo refugium, quod quasi *triplex funiculus difficile confringetur* (1).

Quod si praedestinatus sum et aeternam patriam debeo cum angelis possidere, certe debeo ex nunc angelicam vitam ducere, non humanam. Totum me illi exhibere debeo, qui se mihi in praemium praeparavit; et hac portione contentus nihil amplius debeo affectare. Iustus est enim et, si alium quam ipsum quaererem, contra me posset rationabiliter indignari, et quem visurus sum mihi benevolum, cito viderem iratum et sententiam contra me inferentem.

Igitur in fine diabolo sic conclude: Quidquid de me futurum sit, a Dei servitio non desistam, et vae tibi! qui non potes tanto Domino ministrare et eius dulci praesentia iucundari.

1) Eccle. 4, 12.

Caput IV.

Quae sunt, quae ducunt hominem ad contemplationis quietem.

Si ad contemplationis quietem volueris pervenire, in te tria studeas radicare (1): Primum, ut nunquam tuum Creatorem offendas et, quod a te et ab aliis quotidie offendatur, recognoscas et de tuis sceleribus intime dolens aliisque tanquam tibi compatiens abundanter, si poteris, quotidie lacrymeris et hoc recogitans magis tristari desideres, quam gaudere, cernens, quod non in statu sumus laetitiae, sed moeroris.

Magnum est enim, si Deum nostrum sic graviter nostris delictis offensum, possumus toto tempore vitae nostrae plorando placare. Et hanc

1) Cfr. Bonav., *De perfectione vitae ad sorores*, c. 5 n. 2 (t. VIII pag. 117).

consolationem debemus eligere in praesenti, posse semper et nostras et proximorum nequitias deplorare. Et ipse benignissimus Dominus animae sic fideliter in amaritudine existenti post lacrymationem et fletum exsultationem infundet. Et, sicut aqua in vite putrefacta solis calore decocta in vinum convertitur, sic in perfecta contritione lacrymae fervore caritatis decoctae in vinum laetitiae convertuntur. Nec enim decet tantum Dominum cum tam nobili dono in anima habitare, nisi ipsam mundissimam invenerit et cum omni diligentia lacrymis expiatam.

Secundum est, ut nitaris, quantum potes, Christi compati passioni et ubique eam tecum circumferre in corde. Nisi ei compatiendo noverimus pati secum, secum non poterimus iucundari. Si enim bene passionem suam fueris meditatus et multum intraveris latus eius, cito venies ad cor eius. O felix cor! quod sic cordi Christi dulciter colligatur, cuius *laeva sub capite eius, et* quem *dextera illius amplexatur* (1), recte tunc cum sponso sponsa in cubiculum collocatur. Sed, o beatum cor, mihi, quaeso, narra dulcedinem, quam tu sentis; quibus affluis deliciis, non occultes. Sed,

1) Cant. 2, 6; dein alluditur ad c. 3, 4.

ut bene video, non me audis, cor tuum absorptum est prae dulcore. Iam tui interpretis existentis in carcere es oblita. Cerno enim, te sic amoenitate nimia esse raptum, ut tibi iam non sit vox neque sensus. Quicumque autem contemplationis dulcedinem nisi per istud ostium voluerit introire, se furem reputet et latronem (1).

Tertium est, ut possidere non cupias nisi Deum, et quidquid nisi Deum habueris aut oblatum fuerit vel videris vel nominari audieris, debes tanquam de tot foliis non curare (2).

In Deo solo stabilias mentem tuam et solus soli iungaris. Tunc in auribus tuis melos suae eloquentiae resonabit, thesauros suae sapientiae revelabit, melliflua oscula exhibebit. Te prae deliciis non poteris sustinere et suis te sustentans amplexibus, nimia dulcedine absorberis.

O felix anima! quo abiisti? quid nos in tanta amaritudine reliquisti? Nuntia nobis, obsecro, si tibi sufficit illud bonum, an vis, ut tibi de nostris exeniis transmittamus? Sed, ut puto, non reputas nos exeniis, sed stercoribus abundare. Quid tibi ostendimus, o nimia iucunditate repleta, quod

---

1) Cfr. Ioan. 10, 1.

2) M omittit *non*.

etiam nostra maxima aspicere non dignaris? Quare sic quae diligimus tu contemnis? Sed, ut video, nobis non loqueris, quia rapta es a dilecto. O amor ineffabilis! qui cor sic fortiter conglutinat suo fini. O mira benignitas Creatoris! quae se singulariter diligentes tam magno dono visitat excellenti.

Caput V.

Contra superbiam (1).

O superbe, o luciferi imitator! responde: Nunquid te cogitas esse Deum, an omnia esse a Deo ignoras? Si ergo a te esse aliquid protestaris, certe te Deum esse fateris. Sed amplius vide, ut tua insania reprimatur. Nonne de alienis stultum est gloriari? Cum ergo cuncta sint a Deo, si gloriaris de aliquo, te comprobas esse stultum; si autem hoc ignoras, te comprobas esse caecum. Audi ergo, insane. Si gloriari vis et stultus apparere non vis, exclude quae non sunt tua et de reliquo glorieris; sed certe, si omnia non tua excluseris, in nihilum redigeris. Ergo de nihilo gloriare, si non vis incurrere vanitatem.

1) Cfr. Bonav., *De perfectione vitae ad sorores*, c. 2.

Sed specialius ad dona gratum facientia descendamus. De illis gloriari non potes, quia haec te habere ignoras, immo, si gloriaris, non habes. Sed etiam, quod tu habeas, supponamus; qualiter autem ea possideas, videamus. Tibi infideli servo, proditori Domini, destructori tui, iustitiam, quam possides, noster benignissimus Dominus tanquam pannum albissimum tibi dedit, et tu eam stillare non cessas sanguine menstruoso. Sed, o tu vesania plene, utinam saltem *frontem mulieris* haberes *meretricis* (1)! Quaeso, quae sit meretrix sic corrupta, quae de menstruo glorietur? immo, quam velis invenias meretricem, quae de hoc non intime confundatur? nec etiam hoc audet sponsa suo amantissimo revelare. Quid ergo, o stultitia, in malitia gloriaris? Si tantum semel in mense ad modum mulieris deficeres, haberes forsan causam aliquam gloriandi? Sed erubesce et dole, quia continuus est fluxus tuus. Si ergo est a te tantum malum et a Deo tantum bonum, non in te, sed in Domino glorieris et de tua turpitudine coram divinae Maiestatis oculis continue erubescas, sicut deficere non desistis.

---

1) Ierem. 3, 3.

Sed dicis: In me de cetero nolo gloriari, sed ab hominibus cupio commendari. Sed, impie latro, audi. Nonne stultum est, largissimo Domino, qui omnia tribuit abundanter, furari sibi illud, quod est ei carissimum, maxime, ubi videat, quod sibi displiceat et sustinere non valeat? Sic stultus est qui ab hominibus laudem quaerit. Ideoque, cum *universa propter semetipsum operatus sit Dominus* (1), omnes laudes omniaque laude digna ad honorem referas Dei tui; in te ipso cogita diligenter, quod ad hoc creatus es et redemptus, ut non tu, sed Deus in te tuis operibus commendetur. Tui ergo Domini voluntatem fideliter exsequaris, ut laudari abhorreas, Deum autem ab omnibus gaudeas exaltari. Et quanto magis Deus ab aliquo commendatur, tanto in maius gaudium eleveris et studeas, quantum potes, mente, lingua et opere Deum tuum omni tempore honorare, semper actu solum suam laudem intendens. Si enim bene diligeres Dominum tuum eiusque honorem appeteres, ut deberes, malles quibuscumque amarissimis semper pasci et stercus ab omnibus reputari, immo tanquam stercus ab omnibus abhorreri et tanquam lutum foetidum

1) Prov. 16, 4.

ab omnibus conculcari, quam quibuscumque deliciis abundare, qualibuscumque honoribus elevari et quantacumque perfrui corporea sospitate, si inde Deus tuus amplius laudaretur, etiam supposito, quod par esset praemium utrobique. Hoc deberet gratissimum esse nobis, ut altissimus Deus noster a nobis et de nobis aliquod laudis munusculum recipere dignaretur; sed propter nostras infirmitates in contrarium nitimur tota die.

Sed, o mira et ineffabilis amabilisque clementia Salvatoris, quae tam benignissime nostris miseriis condescendis! Quis illam poterit nuntiare? O homo, totaliter te involve in sua misericordia et mirare et tam dulci Domino gratias agere non desistas! O mi Domine, quid tibi contuli, quod tam dulciter me superbum et arrogantem pertractas et foves? Quae est illa gratia, quam inveni, quod ante te me sustines ad momentum? Certe hoc non merui, sed cum inferis habitare, immo, bone Domine, nec etiam ibi creatura tua mereor nominari. Quid tibi pro his faciam, o immensitas bonitatis? Quid tibi pro tantis beneficiis potero exhibere? Ego non sufficio satisfacere pro delictis, nedum (1) pro beneficiis laborare, nec etiam

1) M *nec.*

aliquid tibi dare valeo nisi tuum. Scio, quid faciam. Me tibi totaliter exhibebo et me totum proiiciam in te ipsum et semper timore et reverentia plenus tibi, quantum potero, reverentiam exhibebo et, si dignaberis, tibi fideliter continue ministrabo; et si hoc parum sit, tamen, quia feci quod potui, approbabis.

Sed hoc maximum est, si me dignaberis tecum in area (1) commorari. O quam mihi tunc dulcis esset tua praesentia, summe bonum! Accedam cum silentio et discooperiam pedes tuos, ut me digneris advenam tibi in matrimonium copulare. Non quiescam certe, donec tuis amplexibus gaudeam et inenarrabili dulcedine consopitus in tuis brachiis requiescam. Tunc deliciis *affluam, et admirabitur et dilatabitur cor meum* (2), et mira suavitate potitus nihil nisi te potero cogitare. Attamen ex nunc obsecro, amabilis Domine, ut meo regimini nullo tempore me dimittas, quia sum meae animae lacerator et dilapidator ipsius et omnium eorum, quae mihi volueris elargiri; sicut illa tribuis, sic etiam tu ea conserva, et tibi soli sit semper honor et gloria in aeternum. Amen.

1) Cfr. Ruth c. 3. 2) Is. 60, 5.

Caput VI.

Quod utiles sunt tentationes servis Dei (1).

O mirae benignitatis Altissime, qui nos tentari permittis, non ut capiamur, sed ut timentes ad te, portum tutissimum, fugiamus. More bonae matris facis, o Domine, quae filium a se elongatum desiderans amplexari, per aliquod horribile sibi timorem inducit et expandens brachia filium recipit fugientem, cum gaudio sibi arridet et oscula dulcia elargitur et, ne alias a se recedat, hortatur, ut non accidat sibi male; consolatur ad se stringens et demum ubera subministrat. O felix tentatio, quae ad Dei Filii amplexus fugere nos compellis! O dulcis Domine! qui nos permittis undique effugari et semper te tribuis refugium

---

1) Cfr. Bonav., *Regula novitiorum,* c. 11 (t. VIII pag. 486).

salutare, ut tecum omni tempore consolemur. Non ergo te tentationes habere mireris, o homo, sed ad Deum fugias expavescens, ibique, si tentari nolueris, residebis, sin autem, capi poteris et damnari. Si autem a Deo te nimium elongasti nec potes ad eum reverti, pleno corde ad Christum tibi proximum accelerabis et in sui lateris puteo, panno superposito, absconderis (1); et ne timeas, quod tunc te invenire valeat inimicus.

Hoc semper habeas pro regula generali, quod, quandocumque Deum tuum ad te profunde volueris inclinare, in corde tuo vulnera Christi portes et eius conspersus sanguine te Patri tanquam unigenitum praesentabis, et ipse tanquam pater dulcissimus tibi plenarie providebit. Accede ergo ad Christum et eum suppliciter depreceris, ut, ex quo ipsum non decet denuo vulnerari, dignetur in tuo sanguine sua vulnera renovare teque totaliter suo sanguine rubricare. Et sic indutus purpura poteris Regis introire palatium.

O tentate! haec vulnera quotidie meditare; haec semper erunt tibi refugium et solamen. Nec dubites, quod, si bene ea in corde tuo impresseris, nullus tentationi aditus apparebit.

1) Cfr. II Reg. 17, 19.

Quis enim videns Dominum gloriae pro nostris sceleribus sic graviter vulneratum auderet iterum scelera perpetrare? Etsi pro suorum vulnerum compassione et reverentia non desisteret a peccato, saltem quia videret, quod peccanti debetur sine comparatione gravior poena quam in omnibus innocenti, a peccato timore nimio abstineret vel abstinere deberet.

Si autem contra te etiam Christum propter tuas nequitias videris indignatum, ad spem peccatorum refugias, matrem suam, et ipsi tanquam matri Dei reverentiam exhibebis et fusis lacrymis eius auxilium postulabis. Et, si perseveraveris non quiescens, non dubites, quod ab ea quod volueris salutiferum impetrabis. *Secum enim crevit miseratio* (1), et sibi miseris satisfacere ex officio est commissum; et quod cum magna diligentia exercet communiter erga omnes tibi non poterit denegare. Quod et si nullo modo te videris consolari, noscas, te Deum diligere, et hoc facit, ut peccatorum tuorum profunditatem cognoscas et tuam miseriam non ignores. Et hoc est maximum donum Dei.

Non enim sibi placet praesumtio aliquorum, qui se iustos reputant et ad ipsum Altissimum

1) Iob 31, 18.

tanquam ad familiarem amicum accedunt. Vult enim, ut quantumcumque magnus se miserum et quasi nihil reputans ad ipsum veniat cum peccatorum suorum confusione et omni reverentia et timore. Et magnum, immo permaximum, reputet quantuscumque, si ipsum immensus noster Deus dignatur saltem a longe intueri. Ideoque pleno corde Dei magnitudinem suamque parvitatem confiteatur et dicat: *Domine,* non solum *non sum dignus, ut intres sub tectum meum* (1), sed ut nec tibi appropinquare debeam ullo modo. Sufficit enim mihi, ut tuae immensae pietatis oculis me digneris aspicere a remotis. Dico tibi, quod, si in hoc perseveraveris non quiescens, non solum te videbit, sed etiam ad sua secretissima introducet. Quod ipse dignetur facere qui est in saeculorum saecula benedictus. Amen.

1) Matth. 8, 8.

Caput VII.

Qualiter homo ordinet cogitationes suas.

O homo, vis cognoscere, quomodo tuum dirigas cogitatum? Semper debes cogitare, te esse in conspectu Dei tui, et ipsum semper in tuo habeas cogitatu. Super Christum autem pro te gravissime vulneratum quasi semper dirigas cogitatum et, quod ipse sit Deus tuus, qui pro te talia passus est, cogitabis. Saepe autem ad Christi matrem, quae est miserorum solatium, reverenter festinabis et, quotiescumque ad ipsam tuum direxeris cogitatum, ipsam cogita matrem Dei.

Et sic, quocumque dirigas cogitatum, Deum tuum habeas semper in corde; sic et semper coram ipso existens suamque admirans magnitudinem et tuam miseriam recognoscens, quantum poteris, resilies in te ipsum, admirans non modicum, quomodo dignatur tam rem foetidam coram suis oculis

praesentare et te ad momentum patitur in sua praesentia commorari. Haec sic faciens de hoc dono maximo et de omnibus aliis, quantas poteris referas Deo gratias; et quod etiam regratiari possis, recogita magnum donum. Et hoc donum, scilicet quod semper in praesentia sua valeas commorari, et alia, quae tibi concesserit, debes cum omni vigilantia custodire, semper cum magna aviditate inhians ad maiora. Et si propter tuam miseriam aut aliquam exteriorem occupationem cogitatum tuum a sua praesentia absentares, cum anxietate magna reverti studeas, ubi eras, scilicet ad praesentiam Dei. Et hoc sic faciens, qualem processum habere debeas, unctio te docebit.

Hoc tamen pro certo habeas, quod quidquid sit de aliis, semper te debes in tui consideratione ad nihilum redigere, quantum potes, et omnium peccatorum te infimum reputare et tam pro te quam pro aliis a Deo tuo tibi praesente debes cum omni humilitate veniam postulare et tuam considerationem super hoc dirigere poteris per hunc modum: Nunquam recogitare debes, quod aliqui peccatores sint a Deo adeo elongati, quin saepe, etsi non continue, ad Dominum se convertant in corde et, quin Dominum suum tunc intimius recogitent quam tu et clarius re-

cognoscant et, quin maiori coram ipso assistant reverentia et maiorem confusionem suorum habeant peccatorum et humilius se ei praesentent, quin etiam ardentiori moveantur affectu in praesentia tanti boni; et, si hoc pleno corde non poteris cogitare, per hoc ipsum debes te superbissimum reputare nec poteris de congruo huic tuae superbiae praeponderare concupiscentias aliorum. Et, cum a sapientibus sentiatur quod, sicut contingit de bono ita et de malo, quia aliquem defectum est in quolibet reperire, quem in aliis tam excellenter non possumus invenire, debes firmiter tunc praesumere, quod superbia sit illud vitium, in quo singulariter tu excedis, ex quo non poteris tuam conspicere pravitatem; et certe, si hoc est verum, satis bene potes te infimum omnium reputare.

Sed forsitan tua superba cogitatio dicet tibi: Quomodo hoc de infidelibus cogitare possum, qui nec etiam Deum cognoscunt, quod infimus sim eis? Sed audi, superbia caeca! An ignoras, quod, si Deum cognoscis, ipsum quoque te redemisse credis suo sanguine pretioso, et contra ipsum in superbiam elevaris, quod gravius peccas, quam si haec omnia ignorares? Nonne, ubicumque peccati maior est cognitio, maior contemptus? Et nonne, ubi maior contemptus, maius peccatum? Nullum

ergo excipias, o insane, sed pleno corde te humilians tuam miseriam recognosce.

Et, si tibi tunc, cum cogitaveris, te esse infimum omnium peccatorum, subrepat cogitatio, quod tu es a Domino reprobatus, hanc quantocius excludere debes, nec permittere tecum aliquo modo commorari; timere debes non modicum et Dei altissimi superextollere pietatem et confidere in Christi vulneribus et in clementia matris eius; immensa est enim misericordia Dei nostri. Et, si in te solo essent omnia peccata, quae unquam facta sunt vel possent de cetero perpetrari, adhuc in infinitum superexcellit misericordia eius, et tibi haec omnia, si ad se concurreris, propter pietatem suam largissimam condonaret.

Si etiam tunc veniat tibi cogitatio, utrum sis in caritate vel non, timere proculdubio debes; sed cave, ne determinate in partem aliquam inclineris, et fideliter age et de divina misericordia semper spera. Si enim haec egeris et tui consideratione reputaveris te peccatorum nocte undique obumbratum ac de tanta tenebrositate intense dolens ad fontem pietatis humiliter converteris mentem tuam, *orietur in tenebris* istis *lux* (1)

1) Is. 58, 10.

tua, et elevaberis Dei nostri dulcissima pietate ad caelestia contemplandum et ibi in deliciis abundabis, ut dicas cum Propheta: *Et nox illuminatio mea in deliciis meis* (1). Quod ipse nobis praestare dignetur qui est in saecula benedictus. Amen.

1) Ps. 138, 11.

Caput VIII.

Quomodo anima in contemplatione inebriatur amore Creatoris.

O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius (1)!

Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Sed, si quis ascendere voluerit, per quam viam ibit, cum *investigabiles sint viae eius* (2)? Audi dilectum tuum, anima delicata, et gaude. Cum cuncta, quae supra scripta sunt, cum omni vigilantia studueris adimplere et iam sic Deo appropinquaveris, ut nihil praeter eum valeas cogitare, ceteraque praeter eum sint tibi in nimia amaritudine, et quasi libentius velles animam a corpore separari quam animam tuam a

---

1) Rom. 11, 33; sequitur Ps. 23, 3.

2) M addit: *Hoc sane intellige secundum quod nostra fragilitas potest pertingere.*

continua meditatione sui, et quasi videtur tibi, quod etiam te ipsum non ames nisi ipsum, quid tibi de dilecto tuo contingat, ausculta, o anima amore repleta, immo quae tota versa es in amorem.

Iste dilectus tuus, o dilecta, a quo non potes aliquatenus separari, se ipsum a tuo cogitatu continuo paulisper subtrahet, ita ut cor tuum curvatum ad aliquid aliud incipiat evagari, et tu videns eum, quem sic fortiter diligis, abscessisse, nimia aviditate repleta quaeres undique, quomodo possis quem sic fortiter diligis invenire; omnibus creaturis breviter nuntiabis, ut indicent tibi, ubi sit dilectus tuus, quia *languida* efficieris *prae amore* (1). Quanto tunc fletu, quanta lacrymatione perfundaris, quanta anxietate post dilectum tuum discurras, tibi nescio enarrare. Sed, o mirabilis amoris inebriatio! hoc ipso, quod sic in ipsum tendis, cum ipso es et ignoras.

Sed, quid faciet dilectus tuus, o nimio amore repleta? Nunquid se poterit amplius occultare? Se dulcissimus sponsus tuus tibi quam citius praesentabit. Et tu ipsum videns, quem cum tanta aviditate quaesieras, nimio ardore amplexaberis eum, tamen semper cum omni reverentia et ti-

1) Respicitur Cant. 2, 5 et c. 5, 17.

more. Sed quanta adsit tunc tibi consolatio, si sapiens fueris, poteris experiri. Sed audi, amantissima Domini, cum te securam reddideris, se iterum absentabit; et tunc maiori ardore quam prius ipsum requisitum habebis. Quid dicam tibi? Se toties absentabit, donec sis sic sollicita custodire ipsum, ut te securam non audeas reddere et omnia habeas iam suspecta. Sed, o felix anima, audi, quid tibi faciet dilectus tuus! Cum secum incipies quietari, vino dulcissimo incipiet te potare. Et tu eius dulcedine allecta amplius incipies affectare, et ipse largissimus amplius tibi dabit; amplius postulabis, et ipse benignissimus amplius ministrabit. Quid dicam tibi? Satiari non poteris, donec inebriata fueris et vino undique iam perfusa. Utrum autem post frequentem et nimiam inebriationem soporem aut raptum sequaris, si tibi concesserit Dominus, poteris experiri. Largissimus est enim et plus sine comparatione, quam credi valeat, elargitur.

Hoc tamen semper habere debes in corde tuo, quod tu sis vilissimus, et quod nullo modo ad hoc aptus sis, immo permaximum debet tibi videri, si ipse delet peccata tua etiam cum quantacumque poenarum inflictione in hoc mundo, qui est laudabilis et gloriosus in saecula saeculorum. Alleluia.

Caput IX.

Quomodo anima ante raptum diversimode inebriatur.

Quia habemus in pluribus locis supradictorum capitulorum, hominem divina influentia inebriari posse, ut mens tua amplius elevetur, volo, ut illarum ebrietatum differentiam non ignores. Potes ergo intelligere, quod vir contemplativus, quamvis multas alias consolationes spirituales habeat, tamen antequam ad soporem et raptum perveniat, ad quos pauci pertingunt, valet ebrietatem duplicem experiri. — Prima est quaedam abundantia iucunditatis in corde et vehemens iubilatio mentis, quae post multum fletum aut multam compassionem passionis Christi aut per magnum fervorem singularis amoris in Deum venit ex quadam novà irradiatione divina in mentem. Et illa laetitia tantum abundat in corde, ut etiam in membra corporis redundet et ea faciat divinae clementiae arridere, et prae ex-

sultatione nimia ad modum ebrii praecipitantis graditur quietem non sustinens et creaturas, quas invenit, sui Conditoris amoris magnitudine amplexatur. Et bene potes credere, quod tunc cor suum non multum se applicat ad terrena, sed, si aliquid terrenum occurrerit, omnia reputat esse vana.

Alia ebrietas est, quae nimia dulcedine replet cor; et ex divino consortio hoc venit per contemplationis quietem, et in tantum abundat haec dulcedo in corde, ut redundet in omnia membra abunde, adeo ut totus sibi tam interius quam exterius mellifluus videatur. Et, sicut prima ebrietas prae hilaritate quietem non sustinebat, sic ista prae nimia dulcedine quiescere facit. Et haec, nisi in tantum intendatur, ut in soporem degeneret, non auferet totaliter sensuum particularium actus, sed ad modum ebrii esse liberos non permittit. Tunc quasi quidquid videris reputabis quadam divina dulcedine abundare. Et quamvis prima sit in intensione laetitiae et haec in intensione dulcedinis, tamen non oportet dubitare, quod et illa sentit dulcorem et ista laetitia non privetur. Et quamvis non sit necesse timere de prima (1), sed potius sit gaudendum, tamen de se-

1) M addit: *scil. ebrietate, quae in spirituali laetitia consistit.*

cunda, quae consistit in quadam admirabili dulcedine cordis, semper securum est dubitare, quia diabolus *transfigurans se in angelum lucis* (1) consuevit aliquando similia procurare. Vellet enim, ut homo superbiret ac se esse aliquid reputaret, et ut talibus deliciis frueretur ibique quiesceret et sic averteretur a Deo. Hoc bene permittit Dominus evenire, quia aliqui contemplativi aliquando nimis praesumunt de sua sanctitate, aliosque contemnunt et credunt, se Deo esse proximos, cum sint propter suam superbiam nimium elongati. Et ideo diabolus, pater superbiae, hanc habet potestatem in eos, ut in talibus deliciis eos decipere possit. Et ideo cum summa diligentia attende, quandocumque tibi acciderit, ut aciem mentis in Deum dirigas, nec ab ipso cor tuum discedat, ut, si delectari oporteat, solum delecteris in Deo. Tunc, si a Deo esset illa dulcedo, deberet intendi, si a diabolo, deberet privari aut saltem remitti. Quodsi Deus in hoc aliquando te voluerit consolari, ut, qui pro tuis aliorumque peccatis amaritudine repleris, in ipso aliquando deliciis perfruaris, sibi regratiari debes, ut potes, et adhuc tamen licitum est timere, ne praesumtionem incurras.

---

1) II Cor. 11, 14.

Potes enim cogitare ad humiliandum cor tuum super hanc dulcedinem, quod Dominus pro aliquo parvo bono, quod facis in praesenti, quod tu forsitan reputas esse magnum, fortasse vult istud pro praemio tibi dare, quia te praemiis aeternis non reputat esse dignum. Potes enim timere probabiliter, ne istud dulcissimum vinum tibi adhuc spiritualiter febricitanti periculum mortis inducat, hoc est, occasionaliter faciat superbire. Ideoque pleno corde, dum sumus in hac valle miseriae constituti, debemus appetere magis pro peccatis nostris cum Christo crucifixo affigi, quam periculosis afflui deliciis. Et sicut quotidie peccamus, immo quasi continue, sic deberemus pro eisdem peccatis velle poenam continue sustinere. Et, sicut sumus vilissimi Dei servi, sic deberet nobis placere, immo deberemus appetere ab hominibus vilissimi reputari. Et, sicut ad honorem Dei facti sumus, sic illud solum deberet mihi in me et in aliis placere, quod ad suum tendit honorem, et illud solum displicere, quod in contrarium vergit. De indifferentibus nullo modo deberemus curare, nisi quia omnia deberemus ad laudem suam referre. Quod ipse nobis concedat, qui est per omnia benedictus. Amen.

Caput X.

Quod homo ferveat ad opera Dei.

Si attenderes, o homo, quod te Deus ad imaginem suam fecit, pro te tot et tam nobiles condidit creaturas et tuam assumens naturam tam carissime te redemit et non solum, ut ipsum in cibum habeas in praesenti, sed se tibi in futuro in praemium promisit, nunc naturam conservat gratiamque infundit, et haec omnia ad suum facit honorem; sic in ipsum tenderes aut tendere deberes et eius honorem appeteres, ut quasi tui oblitus et pro nihilo te supponens, quidquid consolationis aut tribulationis, honoris sive iniuriae tibi contingeret, acsi nihil accideret, reputares, totum in laudem et honorem referens Creatoris. Et, quandocumque posses facere aliquid ad Dei honorem animaeque tuae salutem, utrum esset difficile vel iniuriosum, non iudicare deberes,

sed cum quodam impetu mentis nimio amore ferventis deberes studere omni diligentia effectui mancipare. Si enim bene Creatoris tui esses amore succensus, o homo, nihil pro ipso iniuriosum, nihil difficile reputares; omnia tibi levia, omnia amabilia, omnia dulcia et suavia apparerent, et tam libenter haec omnia adimpleres, ut, cum omnia perfecisses, quasi nihil pro ipso egisse crederes, immo potius defecisse, teque ex hoc exosum haberes, ut vix te ipsum posses aliquatenus tolerare et cogitares sollicite, quomodo posses adhuc maiora facere aut saltem eadem perfectius adimplere, proponensque in corde tuo te pro defectibus graviter flagellare; nam erubesceres non modicum et doleres tam altissimo Domino sic miserrimo ministrare. Quid plura dicam? Quanto plus proficeres, tanto plus te deficere cogitares et amplius erubesceres et doleres et maiori ardore succensus, semper maiora reincipere conareris. Nunquam enim de his, quae ad honorem Dei esse cerneres, tuus posset refici appetitus; semper enim famelicus appareres. O mirabilis calor amoris! qui sic cito digeri facit ac tandem convertit in praemium sine fine. Non dubito, quod tunc nimio fervore ebulliret cor tuum, somnumque haberes exosum et quidquid ad momentum te retraheret a servitio Dei tui.

Semper tamen videreris tibi ad serviendum Deo piger, aliique servi Dei respectu tui promptissimi apparerent, eorum promptitas esset tibi in magnum gaudium, sed tua pigritia in moerorem.

Accede ergo, homo, *ad cor altum, et* in tuis actibus *exaltabitur Deus tuus* (1). Si enim habueris cor infimum et terrenum, minima servitia maxima reputabis, et quae quasi nihil erunt, tibi difficillima apparebunt, et illa, quae pro te aut pro uno vilissimo amico tuo libenter faceres, pro Deo altissimo facere aggravaberis ultra modum; dulcia et amabilia reputabis amara et amarissima dulcissima iudicabis. Oculus infirmus irradiationes solis iustitiae abhorrebit et ambulare in tenebris affectabit. De spiritualibus vitiis triumphabis et te triumphari a daemonibus ignorabis; applicabis *manum* propter pigritiam *sub ascella* et in *aestate* gloriae *mendicabis* (2). Sed vae tibi! qui iam non potes bestiis comparari. Utinam saltem *iumentis* esses *similis* (3), quae suorum subeunt onera dominorum. Non poteris ea de culpa arguere, et

1) Ps. 63, 7.
2) Cfr. Prov. 19, 24 et 20, 4.
3) Cfr. Ps. 48, 21.

te niteris nequitiis adimplere. Si ergo sic ad serviendum Deo habes *ligatas manus et pedes,* non restat, nisi ut *in exteriores tenebras iaciaris* (1); a quo ipse nos custodiat, cuius misericordia plenus est totus orbis. Amen.

---

1) Matth. 22, 13.

Caput XI.

Quod contemplativus non iudicet alios propter apparentes defectus.

Diabolus in malitia antiquatus viros contemplativos cernens in caelestibus conversari, unde per superbiam est eiectus, nititur quoquo modo eos secum detrahere ad inferna. Et, quia videt eos non posse vincere in aperto, conatur saltem eos decipere in occulto; et, quamvis diversa mala diversis temporibus suggerat, tamen ad hoc nititur non modicum, ut contemplativus de se praesumat et alios esse iudicet vitiosos, apostolicae inhaerens sententiae (1): *Omnia diiudicat spiritualis.* Sed, o pessima pestis atque mors gravissima et occulta! Haec Deum fugat praesumtionem nequissimam abhorrentem, haec fraternam lacerat ca-

---

1) I Cor. 2, 15.

ritatem, haec *vescentem in croceis facit stercora amplexari* (1), haec spirituali laetitia plenum ad acediam ducit, haec ad honorem Dei referenda facit diabolicae fraudi dari. .

Sed, o homo, nunquid in altum contemplationis ascendisti, ut sic faciens, scilicet alios iudicans, debeas maius praecipitium sustinere? *Pone* ergo te tui consideratione *in novissimo loco* (2), et cadere non valebis; Dei commendes opera, et omnia commendabis. Attende ergo, o homo in contemplationis dulcedine constitute, et cognosce, qualiter Deus propter sui honorem faciens creaturam diversa diversis voluerit munera elargiri, ut non uno modo, sed multiformiter honoretur atque sui thesauri divitias manifestans commendandi suam magnificentiam materiam multiplicem habeamus. Debes ergo primitus cogitare, quod Deus sicut bonus paterfamilias ordinans domum suam pensat filiorum potentiam, prudentiam et bonitatem et, secundum quod viderit, diversa committit officia et tribuit dignitates. Cogita ergo primo tu, qui contemplationi vacas, quod Deus, benignissimus pater tuus, sciens te

1) Thren. 4, 5.
2) Luc. 14, 10.

ad omnia imbecillem, noluit te in periculosis et difficilibus ac implicatis operibus ministrare, sed sua clementia tanquam infirmum per contemplationis quietem te voluit consolari. Alios autem cernens in caritate ferventes et fortiter radicatos voluit super periculosa et difficilia ordinare, nihilominus quietem sibi tribuens post laborem et consolationem non modicam in labore.

Si ergo videris, te spiritualibus inhaerere, ceteros autem circa alia laborare, non eos iudices, sed Dei sapientiam et benignitatem agnosce. Te infirmum reputa aliosque considera esse fortes. Quomodo enim te fortem poteris reputare, qui propter nimiam tui infirmitatem lecti mollitiem, scilicet contemplationis suavitatem sustinere non potes, sed ad modum arundinis omni vento moveris? Quid ergo faceres, si te oporteret *una manu aedificare et altera* hostes gladio effugare (1)? Nempe solo pavore deficeres.

Lauda ergo Dominum Deum tuum, qui potentes in arduis posuit et adversis, prudentes intentos fecit studiis, clementes bonorum temporalium distributores ordinavit. Te, ne deficeres, voluit quiescere per contemplationem, scilicet ne

1) Respicitur II Esdr. 4, 17.

errares; noluit, te subtilia et curiosa investigare, ut simplicitatem haberes; ne malus dispensator esses, voluit, te insimul omnia abnegare, ut pauper esses. Non ergo de istis te exaltes, sed humilies; non alios iudices, sed exaltes. Nec ab istis excludas eos, quos videris otiosos; debes enim cogitare, quod tanquam sapientes et probi thesaurum acquisitum, ne furetur, abscondunt, laborantes in occulto et in publico quiescentes. Aut certe cogita, quod ille, qui dedit *ventis pondus* (1), permittit, eos in istis minimis et manifestis deficere, ne de maximis, quae sibi concessit Dominus, in superbiam eleventur. Et, quamvis sic facere debeas de omnibus supradictis, tamen, quia vides, eos in periculo esse, debes tu, qui in quiete existis, pro eis orare et, si potes, eos allicere ad quietem.

Debes secundo omnia ad laudem reducere Creatoris, quod facere poteris per hunc modum et etiam melius, si tibi Dominus dignabitur indicare. Cum enim videris aliquos in praelatione temporali sive spirituali dignitate aliqua constitutos, hoc esse factum ad commendandam divinam magnificentiam et potentiam cogitabis,

1) Iob 28, 25.

quodque laudabis. Cum autem videris aliquos scientiae insistentes et non solum Creatorem, sed etiam creaturarum occultissima inquirentes et quodlibet verbusculum curiosissime ordinantes, hoc esse ad manifestandam divinam sapientiam non ignores, et in eis divinam sapientiam commendabis. Cum autem videris aliquos temporalibus negotiis insistentes, in ipsis laudabis divinam prudentiam per tales quiescentibus providentem. Si videris aliquos insistere operibus pietatis, in ipsis laudabis divinam bonitatem se ad omnia diffundentem; si videris aliquos ceteros iudicantes, divinum iudicium time; si poenam inferentes, divinam recogita iustitiam; si rigidos, divinae iustitiae expavesce rigorem; si reprehensores, causarum discussores, futuri iudicii recordare; si videris praelatos circa punitionem remissos, in eis divinam misericordiam commendabis. Si calorem habueris, recogita Dei Patris erga nos nimiam caritatem, qui voluit suum Filium incarnari et pro nobis omnibus crucifigi; si frigus habueris, ab omni aestu miseriae ad refrigerium anhelabis; et sic omnia potes reducere ad laudem et magnificentiam Creatoris. Non enim debet esse creatura, in qua suum non honorifices Creatorem. Hoc enim ipso omnis creatura digna est

omni laude, quia a Deo est condita et ab eodem conservatur in esse, et hoc ipso, quod dicitur esse eius, suum mirabiliter commendat auctorem.

Haec pauca exempla posui, ut viam habeas ad maiora; et istud est discretionis iudicium, ad quod te apostolus voluit invitare in auctoritate proposita, quam tu pessime assumebas. Non enim vult innuere, quod spiritualis homo ceteros debeat condemnare, cum alibi ipse dicat (1): *Nolite ante tempus iudicare;* et idem alibi (2): *Tu quis es, qui iudicas alienum servum?* sed dicit, quod haec secreta divinae sapientiae *non percipit homo carnalis* (3), sed spirituali mente praeditus melius in creatura qualibet iudicabit, id est discernet. Iudica ergo et tu de cetero omnia, id est divinam potentiam, sapientiam et bonitatem in omni creatura discerne, et inde omnium honorifices Conditorem.

Si autem aliquem certitudinaliter aut probabiliter noveris peccatorem, cave diligenter, ne propter hoc ipsum condemnes, ne etiam ipsum

1) I Cor. 4, 5.
2) Rom. 14, 4.
3) Respicitur I Cor. 2, 14.

commendes; sed vitium tibi displiceat, et compatiaris, quantum potes, personae. Laudabis etiam Deum tuum, qui non permisit ipsum gravius cadere, nec te illud vitium perpetrare. Nullo enim modo dubites, quod, si te non custodiret a malo, gravissima et turpissima perduceres ad effectum. Deum etiam suppliciter exorabis, ut ipsum et quemlibet peccatorem relevet a peccato et te custodiat ab omni malo. Nisi enim noveris peccatis compati proximorum, ad bonum indurabitur cor tuum, et fortasse in malum irrues sine freno. Qui enim fideliter oratione sive exhortatione Dominum proximo non procurat, cum facere potest, non dubito, quod ab ipso Dominus elongatur. Sed, quanto magis credis ab his Dominum elongari, qui arridendo detractoribus ac ceteris peccatoribus applaudendo, eos in malitia sua fovent et audaciam tribuunt iterum similia faciendi?

Si ergo opportunitas se obtulerit, malum argue aut, si non expedit, saltem tristitiam praetende faciei, ut aliqualiter confundatur peccator. Nec attendas magnitudinem alicuius, quia illum reputa esse magnum, qui approximat Deo tuo, et tanto maiorem, quanto amplius approximabit. Quae enim perversitas est, servum diaboli timere

et maximum reputare et contemnere Dei filium adoptivum et iam arrham patriae possidentem? Certe haec est vesania nimis magna, a qua nos custodiat sapientia Dei Patris. Amen (1).

---

1) M pergit: « Hic attenduntur tria, quae debet habere contemplativus: in Deo quietem iucundam, et hoc est angelicum donum; in se simplicitatem puram, hoc est patriarcharum; in rebus paupertatem altissimam, hoc est apostolorum ».

Caput XII.

De paucitate bene obedientium.

Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis imbrem lacrymarum, ut plorare valeam (1) perfectorum statum quasi ad nihilum iam redactum? Nam terra culta divinis consiliis et Christi exemplis *spinas et tribulos germinat* pro frumento. Certe, quanto res perdita nobilior, tanto debet esse intensior dolor cordis. Sed, ut de multis aliqua videamus, de obedientia tanquam de religionis fundamento primitus pertractemus.

En, curre et discurre, utrum in sua perfectione possis eam in aliquibus invenire; credo, quod vix aut nunquam eam invenies latitantem. Sed mirari potes, cum religiones et religiosi multiplicentur multum, quomodo obedientiae perfectio

---

1) Ier. 9, 1; sequitur Gen. 3, 18.

sit in paucis, immo quasi in nullis valeat reperiri. Certe, quia, etsi *multiplicata sit gens, non est* tamen *magnificata laetitia* (1) spiritualis intensive.

Quaeso, ut mihi dicas, quis est ille, qui velit habere praelatum ad praecipiendum? nonne potius ad serviendum? Iam nolumus praelatorum voluntatibus assentire; sed volumus, ut voluntates nostras debeant in omnibus adimplere. Et, si deesset aliquid, iam plus de ipsis quam domini de scutiferis murmuramus; eis gladio linguae non parcimus, et, quod peius est, quod nobis alias esset gratum fit nobis hoc ipso, quod a praelatis est impositum, odiosum. Iam non cogitamus, quomodo possimus eorum voluntatem plenius adimplere ac nostram voluntatem perfectius abnegare, sed quomodo possimus eis in omnibus resistere et eos ad faciendum quod cupimus coarctare aut ad renuendum quod iniungunt nobis nos excusatione aliqua palliare; aut diligenter investigamus, quomodo non teneamur sibi in hoc vel in illo aliquatenus obedire. Sed heu! luciferum imitamur, qui praeesse voluit potius quam subesse; timeo, ne secum habitaculum habeamus.

1) Isai. 9, 3.

Ad confusionem nostram appareat Christus passus, qui pro nobis Patri *usque ad mortem* voluit *obedire;* nihil sibi retinens de iis, quae propria voluntas in hominibus appetere consuevit, *se exinanivit* (1) ad plenum. Hunc imitati sunt patres nostri, qui, cum praelati essent, se subditos subditis faciebant. Hoc sibi dulce, hoc delectabile, hoc peramabile in his, quae magis suae voluntati contraria existebant, in his, quae ad exterioris hominis confusionem, afflictionem, exinanitionem spectabant, sibi infimis obedire. Non enim curiose librabant, utrum hoc melius esset illo, hoc securius, hoc laudabilius, sicut quidam faciunt causa fugae; sed cuncta, quae non essent contra Deum, quantumcumque ardua et vilia, dum cernerent esse secundum praelatorum beneplacitum, adimplebant aviditate maxima. Tanta erat obedientiae dilectio, ut ad eam implendam non timerent discurrere super aquas (2), nec ire ad capiendas leaenas, cum iniungeretur eis, et multa alia, quae non sufficio enarrare. Nec enim iudicavit esse infructuosum qui obediens abbati cum

1) Respicitur Phil. 2, 7 et 8.

2) Libr. V *De vitis patrum,* libellus 14 n. 17 et n. 4 et 3.

labore quasi importabili voluit per annum lignum aridum adaquare; ibique apparuit obedientiae celsitudo, quia quod mortuum et aridum fuerat per obedientis meritum fructum fecit.

Quid ergo de obedientia gloriamur? Cur ergo non de nostra superbia potius confundimur? Nunquid viri apostolici possumus nominari? Timeo, quod nec etiam christiani, sed potius imitatores luciferi possumus vel daemoniaci appellari. Quomodo potes christianus dici, qui Christo contraria niteris adimplere (1)? Nunquid Christus consideravit, quod ipse erat Deus et secundum humanitatem omni gratia et scientia plenus, immo quoad animam iam beatus, qui *beatae Virgini et* etiam *Ioseph erat subditus* (2)? *In solvendo* etiam *didrachma* servis daemonum voluit obedire. Nos vero sumus *sepulchra dealbata* hypocrisi, *plena ossibus mortuorum, hominibus exterius mortui apparemus* et interius vigore superbiae vegetamur. Iam obedire renuentes dicimus, quod non sumus *vocati* in servitutem, sed potius in *liber-*

---

1) M addit: *quasi dicat: sua magnitudo non impedivit humilitatem obedientiae.*

2) Alluditur ad Luc. 2, 51; sequuntur Matth. 17, 23 seqq. et c. 23, 27.

tatem (1). Ignoramus enim, quod *servire Deo regnare est,* et in hac obedientiae servitute, quanto magis nos subiicimus, maiori honore efficimur digniores.

Et non solum ipsa obedientia nos reges constituet in futuro, sed ex tunc, si in sua perfectione existat, facit creaturis omnibus dominari; ad statum reducit pristinum et nihil contrarium, nisi ad profectum animae fuerit, molestare permittit. Adversa prospera facit et hominem adhuc in carne mortali facit angelice se habere necnon et sui Domini facit honorem appetere cum fervore, et omnibus postpositis facit laudem Dei quaerere cum magna aviditate in qualibet creatura, nec momentum permittit pertransire a servitio Dei sui.

O virtus mirabilis, quae sui facit hominem oblivisci et semper in suum tendere Redemptorem et in terris ambulantem facit in caelestibus habitare! Quid ergo murmuras de obedientia, o superbe? Cum enim dicit apostolus, quod in servitutem non sumus vocati (2), innuit, quod non debemus nec Deo nec praelatis obedire timore servili ad modum servorum, sed amore

1) Gal. 5, 13. — Sequitur *Glossa interlinearis* in Rom. 1, 1; cfr. Ambros., *Exhortat. virginit.,* c. 1 n. 3.

2) Respicitur Gal. 4, 31 et Eph. 6, 5 seq.

liberali ad modum filiorum; absit, quod voluerit dicere, quod de cetero voluntatem nostram faciamus. Cum enim dixit Dominus (1): *Qui vult venire post me,* non dixit: suum beneplacitum sequatur; sed: *abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me;* et tota sacra scriptura, hoc est tam novum testamentum quam vetus obedientiam laudat. Si enim bonam superbiam haberes, non renueres Deo tam in se quam etiam in quolibet praelato vilissimo obedire, sed potius dedignareris animam tuam tam nobilem subiicere alicui alii creaturae. Mirum est enim, quod dedignatur homo servire Deo in praelato et non dedignatur servire uni libero aut alicui alii vilissimae creaturae, sed totum tempus suum nititur expendere circa nihil reputatione. Ideoque vir cordatus cernens, quod ipse plus quam alius se offenderit et contra Dominum semper superbe egerit, suam voluntatem in vindictam Dei et sui nititur in omnibus abnegare; se ipsum abhorrens vellet ab omnibus conculcari, semper tamen omnia ad Dei sui honorem referens. Quod ipse concedat nobis, qui obediens Patri pro nobis voluit crucifigi. Amen.

1) Matth. 16, 24.

Caput XIII.

Quaestio carnis ad Deum Patrem de Christo.

Carnem contra spiritum per contemplationem elevatum conquerentem, immo potius contra Christum animam elevantem, ausculta.

Inquit caro: Tibi Deo Patri iusto ac misericordiae infinitae de tuo Filio conqueror, ut tua iustitia consideret violentiam mihi factam et tua misericordia meae miseriae condescendat. Ille tuus Filius plenus sapientia et virtute me sua sapientia circumvenit et sua virtute violentiam mihi fecit. Ille tuus Filius sua sapientia se sub carne mihi simili occultavit ac ad me humilitate nimia et benignitate inenarrabili callide subintravit. Omnibus fuit humilior, omnibus despectior, omnium necessitates assumsit et omnium infirmitates portavit, pro omnibus crudelissime voluit crucifigi, tam compassione quam passione gravissime vo-

luit affligi, cordis sui amorem per apertionem lateris voluit demonstrare; inde etiam voluit suis in remedium emanare sacramenta. Quid plura? Suam carnem constituit in cibum, suum sanguinem in potum et se ipsum promisit in praemium; tua praecepta facientes *matrem fratresque* vocabat (1). Demum non solum in via, sed etiam in patria promittebat, quod se succingeret et eis ad mensam tuam comedentibus *transiens ministraret.*

His omnibus et aliis, quae nec scio nec valeo enarrare, animam mihi deputatam allexit nimis, et non solum allexit, sed etiam intus intrans sua traxit virtute in tantum, ut sibi sic iam suis blanditiis coniunxerit, ut de me non curet, sed potius affligat, deiiciat, conculcet et ad nihilum redigat et, quod gravius videtur, haec mihi inferentes diligat, pro eis orationem specialem fundat et, si non inferuntur, inferri appetat. Sicque mortificor, et non curat; in limo iaceo, et exsultat. Sed quid dolorem dolori addit et, ut intense doleam, cupit? Haec gloria sua videtur mihi posse inferre iniuriam, contumeliam et quidquid vilissimum aut gravissimum potest credi. Sicque me desolatam afflictam reliquit, et ipsa

1) Matth. 12, 50; sequitur Luc. 12, 37.

semper vult cum tuo Filio commorari, semper sua carne cibari, suo sanguine inebriari; ubicumque fuerit, secum vult pariter commorari. Nunc secum apparet in praesepio parva, nunc autem secum Virginis brachiis amplexatur, Virginis humeris deportatur, Virginis lacte fovetur. Nunc secum sitit, nunc secum famescit, nunc secum conspuitur, nunc secum vulneratur, nunc secum in cruce, nunc secum in caelis laetatur apud te, nunc tristatur, nunc secum consolatur; quocumque perrexerit, secum vadit, sine ipso esse non quaerit; ad nihil se potest vertere sine ipso. Quid ergo dicam tibi Deus Pater de Filio tuo, quod animam mihi deditam sic suo inebriavit amore, sic autem alienavit a me?

Si rapinam commisit, iubeas restitui; nec enim parum mihi videtur sic rapere unam mentem. Cur enim anima mihi deputata solum tuum Filium diligit? cur sic me odit? cur cetera dereliquit? Tui Filii amore absorpta graditur sine sensu; iam nihil aliud videt, nihil aliud audit, nihil aliud gustat, nihil aliud odoratur. Semper vult inter sua brachia commorari; ibi iucundatur, ibi laetatur, ibi deliciis abundat, ibi nimio dulcore inebriata cubat. Nec mirum, si anima mea tantum tuo Filio adhaesit; quia, nisi

esset lapide durior et ferro insensibilior, ex quo tanta sibi Filius tuus fecit, aliter facere non deberet, immo aliter stulta appareret. Et ubi est sic durus lapis, qui tanti ardore amoris non scinderetur, immo liquefieret sicut cera, si sibi fierent omnia supradicta? Et ideo non conqueror de anima tibi, benigne Pater, quia fecit quod debuit, sed de tuo Filio, quia nimis eam allexit beneficiis ac me in tanta miseria dereliquit.

Attende et audi, quid respondeat animae clementissimus Pater:

Quia creatura mea es, tibi iustitiam cum misericordia exhibebo. Nam, cum ancilla animae esses, semper tamen dominari voluisti ac semper inordinate egisti; tibi, non mihi, eam servire fecisti; ipsam ad omnia mala pronam reddidisti et, quod peius est, eam ad imaginem meam factam diabolicae servituti subdidisti; eam bestiis similem, immo peiorem, fecisti, eam foetidam et abominabilem exhibuisti, eam super omni caligine denigrasti et tantum eam alterasti, ut creaturam meam sic nobilem cognoscere non valerem. Oportuit ergo, quia carnem nimis diligebat, meum Filium incarnari, ut eam alliceret ad suum meumque amorem; et, quia tibi carni anima mea adhaerendo mortua erat, ut vivificaretur, volui Filium meum

incarnatum pro ipsa occidi. Nec fuit haec Filii mei aliqua circumventio vel deceptio, sed mea suaque inenarrabilis dignatio. Et, quia tu, caro, a suae infusionis principio usque modo semper male egisti, meus vero Filius erga eam nimio exarsit amore et se totum sibi exhibuit, ideo perfecta iustitia exigit, ut eam totam et totaliter sibi dimittam, et ipsa te plus quam stercus abhorreat et ab omnibus abhorreri cupiat? Sed, quia non solum iustitiam, sed et misericordiam implorasti, volo, ut aliquando etiam in praesenti dulcedine, quam in meo sentit Filio, perfundaris. Et super hoc in futuro nobilissime ac perfectissime te dotabo et, si bene animae in omnibus obedieris ex nunc, non solum a poena aeterna, sed etiam purgatoria te absolvo; qui vivo in aeternum et in saeculum saeculi.

Caput XIV.

Quod homo debet libenter Christi passionem meditari, et quam fructuosa sit meditatio eius (1).

Currite undique (2), gentes, et miramini erga vos caritatem Dei et erga ipsum caecitatem vestram et malitiam. Si enim Filius Dei voluit inseparabiliter coniungi humanae naturae, quanto libentius deberet anima nostra sibi inseparabiliter copulari? Si enim Filius Dei voluit tanto caritatis fervore sic vilissimos cineres sibi unire, quanto avidius deberet unusquisque cor suum ad ipsum recipiendum aperire? Quae est vesania animae, quod hoc negligit et potius vult stercoribus adhaerere! Non enim assumsit Filius Dei carnem, ut homo carni adhaereat; sed, sicut ipse

1) Cfr. Bonav., *De perfectione vitae ad sorores*, cap. 6 et *Lignum vitae* passim.

2) Ezech. 39, 17.

in carne existens carnem afflixit et cruci affixit ac carnalia contempsit, et anima eius semper Deo Patri adhaesit, sic homo carnem mortificet et semper se erigat ad divina.

O mirabilis caecitas hominis! qui, cum consistat ex anima et carne, et anima sine comparatione sit nobilior carne, totum tempus suum expendit in provisione carnis sive in his, quae caro requirit, et animam suam negligit, acsi nihil esset; nec ipsam pascere nec ipsam nutrire nec in summo bono quietare studet, cum tamen hoc levius, hoc suavius delectabiliusve sine comparatione aliqua valeat impetrari. Ubique enim se offert homini Deus et sui ipsius, nisi mortem Filii, pretium non requirit. Corporalia autem semper fugiunt nec cum omni sollicitudine et labore et anxietate possunt plene possideri ab aliquo in hoc mundo, nisi fortasse dicamus, quod ille plene possidet, qui omnia plene contemnit. Sed quod magis mirabile, est quod hoc sibi facit anima a carne aliquantulum inclinata, non tamen coacta. Nam voluntarie subdit se carni et carnis beneplacita nititur adimplere et Deo suo se subdere cum omni exhortatione, beneficiorum collatione, interna inspiratione contemnit; et in proprio bono, id est in propria utilitate, Dei non vult facere vo-

luntatem. Certe, si anima non esset peior omni animali, Deum, cui similis est, deberet super omnia diligere et de ceteris non curare.

Si ergo, o anima, carnem diligis, nullam carnem nisi carnem Christi ames. Haec enim pro te et pro totius humani generis salute est super aram crucis oblata; eius igitur passionem in corde rumines continue. Haec autem passionis Christi continua meditatio mentem elevabit, quid agendum, quid meditandum quidve sentiendum sit, indicabit; te demum ad ardua inflammabit; te vilificari et contemni et affligi faciet affectare; te tam in cogitatu quam in sermone et etiam in operatione regulabit. O passio desiderabilis morsque admirabilis! Quid mirabilius, quam quod mors vivificat, vulnera sanant, sanguis album facit et mundat, nimius dolor nimium dulcorem inducit, apertio lateris cor cordi coniungit! Sed adhuc mirari non cesses, quia sol obscuratus plus solito illuminat, ignis exstinctus magis inflammat, passio ignominiosa glorificat; sed vere mirabile, quod Christus sitiens in cruce inebriat, nudus existens virtutum vestimentis ornat; sed et eius manus ligno conclavatae nos solvunt, pedes confossi nos currere faciunt, emittens spiritum vitam inspirat, in ligno decedens ad caelestia vocat.

O passio amabilis, quae sui meditatorem alienat et non solum reddit angelicum, sed divinum! Nam per meditationem commorans in Christi tormentis etiam se ipsum non videt, nisi Deum, semper intuetur Dominum suum passum, vult secum crucem baiulare, et ipse in corde portat caelum terramque pugillo tenentem et pro ipso levissime sustinet omne onus; vult secum spinis coronari, et spe gloriae coronatur; vult secum in ligno sine vestimentis frigescere, et nimio amoris ardore accenditur; vult secum acetum gustare, et vino inenarrabilis dulcedinis potatur; vult secum existens in cruce sibi illudi, et ipse ab angelis honoratur, a beata Virgine in filium adoptatur. Cum Christo volens tristari laetatur; secum volens affligi nimium cum Christo consolatur; cum patiente vult pati, et nimium iucundatur; cum Christo vult in cruce pendere, et ipsum Christus dulcissime amplexatur; secum vult faciem mortis pavore perfusam inclinare, et eius caput Christus elevans suavissime osculatur. O mors amabilis, o mors delectabilis! O! cur loco illius crucis non fui, ut Christo fuissem manibus et pedibus conclavatus! Certe Ioseph ab Arimathaea dixissem: Non auferas ipsum a me, sed me secum sepelias in sepulcro; non enim ab ipso volo

amplius separari. Sed, etsi hoc modo non possum facere corpore, saltem hoc volo facere corde. *Bonum est* enim secum *esse*, et in ipso volo *tria tabernacula facere* (1): unum in manibus, aliud in pedibus, sed et aliud continuum in latere; ibi volo quiescere et dormire, comedere et bibere, legere et orare. Ibi *loquar ad cor eius*, et ab ipso quod voluero impetrabo. Sic faciens dulcissimae matris meae vestigia sequar, *cuius animam* passionis Filii *gladius pertransivit*. Secure ipsam de cetero alloquar vulneratus et ipsam ad quod voluero inclinabo. Et non solum apparebo cum suo Filio crucifixus, sed etiam ad praesepe rediens ibi cum eo iacebo parvulus, ut ibidem cum suo Filio suis uberibus merear adlactari. Miscebo ergo lac matris cum sanguine Filii et mihi faciam unam dulcissimam potionem.

O amantissima vulnera Domini mei Iesu Christi! Nam, cum ea quadam vice oculis subintrarem (2) apertis, ipsi oculi sanguine sunt repleti, sicque nihil aliud videns coepi ingredi manu palpans, donec perveni ad intima viscera caritatis

---

1) Respicitur Matth. 17, 4 et dein Os. 2, 14 et Luc. 2, 35.

2) M *subintrarent*.

suae, quibus undique circumplexus reverti nequivi. Ideoque ibi habito et, quibus vescitur, cibis vescor ac ibi inebrior suo potu; ibi tanta abundo dulcedine, ut tibi non valeam enarrare. Et qui prius pro peccatoribus fuerat in utero virginali, nunc dignatur me miserum inter sua viscera comportare. Sed multum timeo, ne veniat partus eius, et ab illis deliciis excidam, quibus fruor. Certe, et si me pepererit, debebit me sicut mater suis lactare uberibus, lavare manibus, portare brachiis, consolari osculis et fovere gremiis. Aut certe scio, quid faciam; quantumcumque me pariat, scio, quod semper sua vulnera sunt aperta, et per ea in eius uterum iterum introibo, et hoc toties replicabo, quousque ero sibi inseparabiliter conglobatus. O caecitas filiorum Adae, qui per haec vulnera in Christum nesciunt introire! Super suas vires laborant in vanum, et aperta sunt ostia ad quietem. An ignoratis, quod Christus est gaudium beatorum? Cur ergo tardatis per sui corporis foramina in istud gaudium introire? Quomodo insanitis, quod beatitudo angelorum patet, et circumstans paries est confractus, et vos introire negligitis? An forsan exspectatis, quod prius resolvatur corpus vestrum, credentes, quod in praesenti anima in Christo non valeat

quietari? Sed crede mihi, o homo, quod, si in ipsum per haec angusta foramina intrare contenderis, non solum anima, sed et ibi quietem ac mirabilem dulcedinem inveniet corpus tuum, et quod carnale est et ad carnalia tendit, ex illo vulnerum introitu fiet adeo spirituale, ut ceteras praeter illas, quas ibi sentit, delicias reputet esse nihil. Immo fortasse aliquando anima propter aliquam obedientiam vel utilitatem dictabit esse recedendum, caro vero allecta illa dulcedine dicet esse morandum. Et si ille accidit dulcor carni, quanta credis animam perfundi dulcedine, quae per illa foramina coniungitur cordi Christi? Certe exprimere tibi nequeo, sed experire et scito.

Ecce, aperta est apotheca omnibus aromatibus et medicinalibus plena. Per vulnerum ergo fenestras intra, et accipias medicinam curativam, restaurativam, praeservativam, conservativam. Ibi quascumque volueris species accipe; ibi quaecumque delicata electuaria appetieris sume. Si etiam suavitatis unguentis volueris deliniri, per illa intrare vulnera non postponas.

Ecce, aperta est ianua paradisi, et per Longini lanceam *gladius versatilis* (1) est amotus.

1) Respicitur Gen. 3, 24.

Ecce *lignum vitae* tam in ramis quam in stipite perforatum, in quibus foraminibus nisi pedes, affectus, posueris, non poteris capere fructus eius. Ecce, apertus est thesaurus divinae sapientiae et suavitatis aeternae. Intra ergo per vulnerum aperturam, et cum cognitione delicias obtinebis.

O quam beata lancea et beati clavi, qui apertionem huiusmodi facere meruerunt! O! si fuissem loco illius lanceae, exire de Christi latere amplius noluissem, sed dixissem: *Haec requies mea in saeculum saeculi; hic habitabo, quoniam elegi eam* (1). *O stulti et tardi corde,* quod ad possidendum aliquid vanum per inepta foramina introitis et inde etiam exire multoties non potestis, et ad possidendum Dei Filium, summum bonum, candorem et splendorem aeternum, per apertas vulnerum ianuas non introitis!

O anima ad imaginem Dei facta, quomodo te potes amplius continere? Ecce, sponsus tuus dulcissimus pro te vulneratus iam factus gloriosus te cupit amplexari, tibi dulcissima elargiri oscula; et ad ipsum negligis festinare? Nam prae nimio amore aperuit sibi latus, ut tibi tribuat cor

1) Ps. 131, 14; dein respiciuntur Luc. 24, 25 et I Thess. 5, 21.

suum (1); sibi etiam voluit manus et pedes perforari, ut, cum ad ipsum perveneris, sic tuae manus intrent in suas ac pedes tui in suos, ut sibi inseparabiliter coniungaris. Obsecro ergo, secundum consilium apostoli *omnia probans* hoc experiri coneris et, si tibi bonum videbitur, inde amplius non discedas. Non dubito, quod, si fueris expertus, omnia praeter ipsum amaritudinem reputabis. Velles libenter tunc tibi illa vulnerum ostia, postquam intraveris, obserari, ut inde exire amplius non valeres. Admiraberis super tuam et aliorum super hoc habitam caecitatem; gaudebis nihilominus de tanta dulcedine, quam tu sentis, et in tantum etiam inflammabitur cor tuum, ut quasi nitens ad litteram de corpore exire velit et materialiter in Christi vulneribus habitare; inebriabitur enim nimia dulcedine et fervore et vix poterit ad aliud inclinari. O vulnera corda saxea vulnerantia et mentes congelatas inflammantia, pectoraque adamantina liquefacientia prae amore! O certe vita, dulcedo et spes nostra! Si tamen per meditationem istius passionis ad illam perveneris dulcedinem, de qua dixi, vel etiam ad maiorem, attende, ut non velis illam passionem meditari

1) Cfr. *Soliloq.*, c. 1 n. 39.

propter aliquam dulcedinem temporalem, sed ut tui Creatoris summum beneficium recognoscens in eius accendaris amorem.

Et haec debet esse tua continua oratio semper:

Oratio.

Domine sancte Pater, propter tuam largitatem et Filii tui, quam pro me sustinuit, mortem, et matris eius excellentissimam sanctitatem et beati Francisci et omnium sanctorum merita, concede mihi peccatori et omni tuo beneficio indigno, ut te solum diligam, tuo amore semper ferveam, tuum honorem semper sitiam, beneficium passionis tuae continue in corde habeam, meam miseriam recognoscam et ab omnibus conculcari et contemni cupiam. Nihil me afficiat nisi tu; nihil me contristet nisi culpa. Amen.

Caput XV.

Meditatio in parasceve.

Stabat iuxta crucem Iesu mater eius (1). O domina mea, ubi stas? Nunquid iuxta crucem? Immo certe in cruce cum Filio, ibi enim crucifixa es secum. Hoc restat, quod ipse in corpore, tu autem in corde; nec non et vulnera per eius corpus dispersa sunt in tuo corde unita. Ibi, domina, lanceatum est cor tuum, ibi clavatum, ibi spinis coronatum, ibi illusum, exprobratum et contumeliis plenum ac aceto et felle potatum. O domina, cur ivisti immolari pro nobis? Nunquid non sufficiebat nobis Filii passio, nisi crucifigeretur et mater? O cor amoris, cur conversum es in globum doloris? Aspicio, domina, cor tuum, et iam non cor, sed myrrham, absynthium et fel video. Quaero

1) Ioan. 19, 25.

matrem Dei et invenio sputa, flagella et vulnera, quia tota es conversa in ista. O amaritudine plena, quid fecisti? Cur vas sanctitatis fecisti vas poenalitatis? O domina, quare non es solitaria in camera tua? Quare ad Calvariae locum ivisti? Non est tua consuetudo, domina, ad talia spectacula properare. Cur te non retinuit verecundia virginalis? Cur te non retinuit pavor muliebris? Cur te non retinuit horror facinoris? Cur te non retinuit turpitudo loci? Cur te non retinuit multitudo vulgi? Cur te non retinuit detestatio mali? Cur te non retinuit clamoris vehementia? Cur te non retinuit stultorum vesania? Cur te non retinuit daemoniacorum caterva? Haec non considerasti, domina, quia cor tuum erat alienatum a te prae dolore, non eras in te, sed in afflictione Filii, sed in vulneribus unici, sed in morte dilecti. Non considerabat cor tuum vulgus, sed vulnus; non pressuram, sed fixuram; non clamorem, sed livorem; non horrorem, sed dolorem. Revertere, domina, ad locum pristinum, ne cum percussione pastoris te etiam amittamus. Cur in una hora utroque privamur regimine? Non est consuetudo, domina, mulieres tali morte damnari, nec est pro te, domina, sententia promulgata.

Sed, ut puto, hoc audire non potes, quia *amaritudine repleta es* (1), totum cor tuum versum erat, domina, circa Filii tui passionem. O mira res, tota es in vulneribus Christi, totus Christus crucifixus est in intimis visceribus cordis tui. Quomodo est hoc, quod continens sit in contento (2)? O homo, vulnera cor tuum, si vis intelligere quaestionem. Aperi cor tuum clavis et lancea, et veritas subintrabit. Non intrat sol iustitiae in cor clausum. Sed, o vulnerata domina, vulnera corda nostra et in cordibus nostris tui Filii renova passionem. Cor tuum vulneratum coniunge cordi nostro, ut tecum tui Filii vulneribus pariter vulneremur. Cur hoc cor tuum, domina, saltem non habeo, ut, quocumque pergam, semper tuo Filio videam te confixam. O domina, si mihi non vis dare Filium tuum crucifixum nec cor tuum vulneratum, saltem, quaeso, mihi tribue Filii tui vulnera, contumelias, illusiones, opprobria ac quae in te sentis illa. Quae enim mater, si posset, non libenter auferret a se et a suo Filio passiones et in suo poneret servo? Aut, si sic inebriata es in istis nec vis ea a tuo corde

1) Respicitur Thren. 1, 20.
2) Alii *sit contentum*.

et a tuo Filio separare, ut alicui ea tribuas, saltem, domina, illis ignominiis et vulneribus indignissimum me coniunge, ut tibi et tuo Filio sit solatium socium habere poenarum. O quam beatus essem, si possem vobis saltem in vulneribus sociari! Nam quid hodie maius est, domina mea, quam habere cor unitum cordi tuo aperto et Filii tui corpori perforato? Nonne cor tuum plenum est gratia? Et, si apertum est, quomodo illa gratia non decurrit in cor sibi unitum? Et, si Filius tuus gloria est beatorum, quomodo, si perforatus est, non emanat dulcedo illius gloriae in cor sibi coniunctum? Nec enim intelligo aliter posse esse, sed timeo, quod multum sumus aliquando a longe et credimus esse prope.

O domina mea, quare mihi quod peto non tribuis? Si te offendi, pro iustitia cor meum vulnera; si tibi servivi, nunc pro mercede peto vulnera. Et ubi est, domina, ubi est pietas tua, ubi est immensa clementia tua? Quare facta es mihi crudelis, quae semper fuisti benigna? Quare facta es mihi avara, quae semper fuisti liberalis et larga? Non peto a te, domina, solem nec sidera, sed peto vulnera. Quid est hoc, si sic de istis vulneribus es avara? Aut a me, domina, vitam auferas corporalem aut cor meum vulnera. Ve-

recundum et opprobriosum est mihi videre Dominum meum vulneratum et te, o domina mea, convulneratam et me servum vilissimum pertransire illaesum. Certe scio, quid faciam; hoc tibi sine intermissione et cum clamore et lacrymis tuis pedibus provolutus postulabo et tibi ero nimium importunus; aut mihi hoc tribues aut si me percusseris, ut recedam, tamen stabo et tua sustinebo flagella, donec ero undique vulneratus, nec aliud nisi vulnera a te peto. Si autem sine percussione blandiri volueris, perseverabo constans et tua recipiam blandimenta, et ipsae blanditiae cor meum tuo vulnerabunt amore. Si autem nec quidquam dixeris vel feceris, tunc cor meum vulnerabitur tristitia et dolore, et sic sine vulnere non recedam. Amen.

Haec etiam omnia appetere debes cuilibet homini, et debes pro quolibet sollicite deprecari et, quando vides aliquod bonum in proximo, mirabiliter debes gaudere, etiamsi cernas, illud non esse in te. Quodsi non feceris, sed potius dolueris, tria maxima mala in hoc peccato committis. Primum est, quod honorem Dei, qui in bonis istius resultat, odire videris; secundum, quod passionem Christi, qui ad hoc passus fuit, ut unusquisque abundet virtutibus, contemnis; ter-

tium est, quod caritatem, qua proximum sicut teipsum debes diligere et eius bonum sicut tuum affectare, laceras et dividis.

Multum ergo bonum proximi diligas et procures et maxime spirituale, et etiam, cum necessitas se obtulerit, temporale. Et semper tibi Dominus spiritualia exhibebit et tandem ad caelestia te vocabit, ad quae ipse nos perducat, qui voluit pro nobis crucis opprobria sustinere. Amen.

Caput XVI.

Vir contemplativus non reputet alios imperfectiores se.

Non cessans antiquus hostis, cum non potest virum contemplativum in hoc decipere, ut velit alios iudicare, saltem ad hoc nititur eos deducere, ut, quia vident, se in multis bonis operibus, quae ipsi faciunt, proficere, alios imperfectos esse iudicent, quia eisdem non vacant laboribus, aut certe, quia eadem, qua ipsi, solitudine et quiete sive vigilia et abstinentia non utuntur, sed potius eos vident secundum suum iudicium otiosos vel cernunt eos circa talia implicatos, in quibus isti, qui sic modo proficiunt, aliquando offenderunt.

Sed, o error pessime et occulte, qui secundum .exteriorem conversationem vult interius de homine iudicare! Non enim requirit tantum laborem corporis, quantum laborem cordis, aedifi-

cium (1) spirituale; immo primum apud Deum sine secundo non valet, secundum autem sic sine primo; et quod multoties uni est nocivum alii perutile erit. Et, sicut facies hominum sunt diversae, sic et modi vivendi et in bono proficiendi. Et ideo, quando te vides laudabilibus fulgere operibus, alios vides circa illa eadem negligentes, cogitare debes, quod vel in occulto vel saltem in cordis thalamo laborent circa opera delicata. Et, quia Deus illos propter cordis sanctitatem specialiter diligit, fortasse non curavit eos exterioribus laboribus aggravare, ut ne tam interius quam exterius laborantes sustinere non possent.

Debes ergo ad istam tentationem repellendam primo in corde tuo cogitare, quod non est consuetudo, quod filii regum quotidie ad lucrandum panem suum manualibus operibus se affligant, sed ut delicate et sine labore magno de regalibus divitiis nutriantur. Nam sic est ad litteram, quod oportebit multoties unum fratrem ad habendam unam devotionem aut aliquam interiorem ordinationem multum laborare, et illud idem vel melius habebit alius in sola mentis conversione ad Deum.

Secundo cogitare debes, quod illud, quod la-

1) M *beneficium*.

boras habere et modo de novo incipis degustare, sit iam in aliis inveteratum et fortiter radicatum. Et fortasse ista est una ratio, quare ipsi sicut tu exterius affici circa bona spiritualia non videntur, quia dulcedo spiritualis de novo adveniens mutationem inducit; sed non sic, ut credo, iam illum, qui diu est mutatus, immutat taliter, sed perficit et conservat. Et, quando vides, te quodammodo liquefieri prae amore, alios vero minime, cogitare debes, quod ad calorem solis iustitiae ad similitudinem solis materialis aliqui liquefiunt prae amoris fervore adeo, ut sua membra vix valeant aut non valeant sustinere; aliqui vero desiccantur non solum ab aquositate peccati, sed etiam ab humiditate reliquiarum peccati, et in bono consolidantur et fortificantur contra malum, ita ut nihil a caritate Dei eos valeat separare; aliqui vero maturescunt ita, quod sibi tam interius quam exterius dulcissimi videantur, et abolita omni mentis acerbitate, iam potius in patria, quam in via habitare cernantur; aliqui vero crescunt ad modum arborum et, quamvis sic tales dulcedines non degustent, crescentes tamen de die in diem fiunt apud Deum maiores; aliqui vero putrefiunt ut mali. Cum ergo aliquem istorum effectuum in te sentis, debes credere, quod

idem effectus vel alius melior sit in fratre tuo. Et, quamvis non sic cito liquefiat prae amore sicut tu, fortasse consolidatur vel maturescit vel crescit in bono, et hi sunt forsitan meliores effectus. Et forte, cum credis liquefieri, tu marcescis; et ideo alios non minus te propter talia perfectos iudices, sed potius time, ne sibi non valeas comparari. Nam si cera, cum liquefit ad solem, ceteris creaturis diceret: nullum beneficium solis aut non ita magnum percipitis, sicut ego, stultum esset, quia, etsi cetera non liquefiant ad solem sicut ipsa, tamen tam arbores quam fructus potiora beneficia recipiunt.

Potes autem et aliter a te supradictam tentationem effugare. Debes enim cogitare, quod, sicut quantum ad bona naturalia Dei bonitatem participamus omnes, ita tamen, quod secundum aliam rationem iste quam ille, et quot sunt homines, immo quot creaturae, tot differentes participandi Dei bonitatem rationes reperiuntur; ita simili modo credendum est quantum ad bona spiritualia in rationabilibus creaturis; nam gratia naturam perficit. Et hanc diversitatem in spiritualibus donis innuit apostolus ad Corinthios (1);

1) Epist. I c. 7, 7.

cum dixisset enim: *Volo, omnes* homines *esse sicut me ipsum,* subdit: *Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic;* et ex aliis diversis locis hanc veritatem habere potes. Si ergo ita est, quomodo non aliter spiritualiter vivet et serviet Domino suo iste quam tu? Aliqui enim ad ipsum tendunt per quietem, aliqui vero per laborem, alii sic, alii vero sic, et multoties est melior qui vilior reputatur. Non ergo aliquem imperfectiorem te iudices, si non facit omnia, quae tu facis.

Cum etiam vides, fratrem tuum cum alio sive cum aliis commorari, et tu solitarius es, tunc cogitare debes, quod ille perfectus in caritate est, ut propter magnam dilectionem Dei Deus ubique sit cum eo, sive sit cum fratribus, sive sit solus. Et, quia tu in dilectione es imperfectus, vix potes te ad proximum convertere, quin offendas; vix autem aut nunquam ad Deum bene potes te convertere, quin te oporteat a proximo sequestrari. Sed hoc certe imperfectionis est; nam angeli, qui sunt in caritate perfecti, ita bene moventur in Deum, cum sunt nobiscum aut cum nobis ministrant, sicut cum sunt in empyreo. Hoc non dico, quia credam sic totaliter fieri posse in via, dum viatores sumus, sed aliqualiter possumus eos sequi.

Adhuc etiam cogitare potes, quod, cum sunt ab istis exterioribus abstracti et soli Deo vacant, ita ferventer moventur in ipsum, quod propter nimiam intensionem mentis corpus dissolvi videatur et ad nimiam redigatur debilitatem. Et ideo, ut vires resumant nec penitus deficiant et, ne etiam sua sanctitas ab aliis advertatur (1), se offerunt saepius solatio proximorum, semper tamen ad honorem Dei omnia facientes. Et ideo stultum est, fratrem suum pro qualibet truffa iudicare aut imperfectum reputare. Multi sunt enim honestissimi exterius, qui parum boni faciunt interius; multi sunt dissoluti in gestibus, qui sunt in corde sanctissimi et amicissimi Dei; aut, quod peius est, aliqui sunt hominibus odoriferi et coram Deo sunt foetidissimi et suae exterioris sanctitatis iam *suam receperunt mercedem* (2); et aliqui apparent hominibus peccatores, quorum interior *conversatio est in caelis.* Non tamen dico, quin multoties conversatio exterior correspondeat interiori. Et, quia hoc vel etiam contrarium discernere non valemus, omnes esse Dei filios iudicemus et nos inferiores omnibus, nisi manifeste

1) Alii *avertatur.*

2) Matth. 6, 16; sequitur Phil. 3, 20.

contrarium videamus. Nam de bonis proximi et de suae excellentia sanctitatis sumus incerti; sed de multiplici nostra malitia sumus certi.

Magna est enim praesumtio velle erga proximum meum limitare influentiam divinae bonitatis, quia mihi omnes mores sui non placent. Et quid insanius, quam velle divinam complacentiam secundum meam complacentiam regulare? Hoc tunc facio, quando illud, quod non placet mihi, Deo suspicor non placere. Cum etiam vides, eos circa exteriora implicari, tunc cogitare debes, quod illa ad laudem sui Creatoris referant et magis in illis circa Deum afficiantur quam tu, cum te recte convertis ad Deum. Fortasse enim, quia sic Deum diligunt vehementer, ipsum student quaerere per singulas creaturas, ad quas se oportet convertere, quia ipsum in omnibus esse nimis laudabilem et diligibilem et desiderabilem recognoscunt. Et hoc est magnum eorum gaudium et laetitia, cum vident in rebus vilissimis suam potentiam et suam sapientiam et bonitatem mirabiliter commendandam. Et ideo forte illa vilia sic libenter pertractant, nec assimilantur nobis, quibus omnia sunt nociva. Et forte, quando credimus, eos otiosos esse, tunc inenarrabili laetitia spirituali interius perfunduntur, quamvis hoc dis-

simulent sapienter; aut forte, quia se reputant esse viles, non praesumunt sic se divinae faciei continue praesentare, sed se vilibus adiungentes ipsum nituntur revereri in corde, ita tamen, quod ipsum immediate aliquando contemplentur. Et haec potest esse ratio, quare sic saepe cum aliis iucundantur, quia oritur eis laetitia, quod sic viles homines, sicut se existimant, possunt cum eis, quos Dei filios reputant, conversari. Et, si dicis propter aliquos: ergo deberent cum melioribus habitare, dico, quod forte illos meliores reputant, qui minorem (1) simulant sanctitatem; aut forte esse cum illis non reputant se esse dignos, quia nimis a conversatione illorum videtur eis dissimilis vita sua. Et ideo sufficere eis videtur, cum possint esse cum illis Dei filiis, quos valent aliqualiter imitari; sciunt enim, quod in habentibus symbolum facilior est transitus; aut forte volunt esse cum minus perfectis, ne forte sua bona intentio cognoscatur.

Potes etiam cogitare, quod fortasse hoc concessit sibi Dominus, ut circa ista extrinseca implicentur et cum fratribus conversentur, quia sic est Deum difficilius possidere, quam si solitarii

1) M *meliorem.*

permanerent; et, quanto cum maiori labore et pugna Deum obtinent, tanto est laudabilius eis. Quis dubitat, quod, si homo implicatus negotiis vitae activae adeo perfecte possidet Deum, sicut ille, qui moratur solitarie, quod ei laudabilius esset? Et certe, ubi est maior resistentia, ibi aliquando magis intenditur actus amoris, et per multiplicem intensionem actus sive fervoris augetur substantia caritatis, et inde maius praemium assequuntur. Cum ergo eos credis perdere, ipsi lucrantur, et cum eos existimabis invenire in patria infimos, eos super te invenies exaltatos, si tamen ibi fueris; multum enim est timendum, ne, sicut eorum humilitas ipsos exaltat, ita nostra superbia nos deiiciat in infernum. Aut cogita de eis, quod ipsi magis approbant posse perfecte Deo servire in his, ad quae se inveniunt promptos, quam attentare ardua et ibi deficere, sicut facis; multum enim reputant vel reputare debent incongruum aliquid tanto Domino agere imperfecte. Aut forte tam magna in occulto quam parva in publico, tam terrena quam caelestia attentant facere, ut in omnibus ab eis inimicus humani generis impugnetur, et ipsi in omnibus mereantur; et, quamvis tibi sic imperfecti videantur, forte plus in uno motu interiori merentur quam tu

in multis, immo forte in omnibus. Et cum hoc ignores, minores te non iudices alios, sed lauda Deum, qui te dignatus est eis sociare, quorum fortasse meritis spiritualiter vivis et, si non vivis, per eos forsitan vives. Haec autem dixi ad reprimendam diabolicam tentationem.

Et, quamvis sic sit aliquando aut sic possit esse, et sic de proximo sit credendum, sicut tactum est, tamen simpliciter mihi placet magis, et credo, quod plus placeat Deo vita contemplativa quam activa et vita solitaria quam domestica, et magis mihi placet honestas quam dissolutio; et haec, credo, magis eligenda quam illa, quia, etsi ista ordinari possint in Deum et a sapientibus ordinentur, tamen semper quod propinquius est fini magis est eligendum, et magis ipse finis quam id, quod est ad finem. Et, si ita se habeant ista, non est dubium, quod personae ita se habentes se habeant ut excedentia et excessa. Nam aliqui activi maioris sunt caritatis et meriti quam aliqui contemplativi, et e converso; et aliqui domestici quam solitarii, et e converso; et aliqui dissoluti quam honesti, et e converso.

Quidquid tamen nos habeamus, dummodo Deo placeamus, magnum erit, quia in tanta multitudine hominum pauci sunt Deo grati. Cuius rei causa et

pro nobis et pro ipsis deberemus quotidie non modicum lacrymari et quasi continue Dominum deprecari, ut dignaretur nos facere sibi gratos aut, si fuimus sive sumus, usque in finem in gratia conservaret. Quod ipse concedat nobis, qui pro hoc voluit incarnari et letaliter vulnerari. Amen.

Caput XVII.

Qualiter homo debet se ad amorem Dei excitare, et quantum potest ignire cor suum.

Quia cor contemplantis non cessat sive cessare non debet investigare, quomodo sui Creatoris amore amplius inardescat, proposui ad hoc balbutiens inducere aliquid inductivum.

Primo ergo agnosce, homo, quod nihil est, quod ad eius amorem tantum te inflammet, sicut beneficiorum immensa donatio. Hoc enim ipso, quod ipsum tam ad largiendum tibi ineffabilia liberalem recogitas, ipsum te diligere nimium cogitabis. Et quid est, quod magis excitet ad amorem quam diligi et amari? Hoc enim faciunt quantumcumque crudeles homines, quia *diligentes se diligunt* (1), quamvis erga suum Creatorem hoc, instigante

1) Respicitur Prov. 8, 17.

diabolo, antiquo serpente, negligant adimplere. Cogita ergo quidquid velis, et exinde Creatorem tuum habebis non modicam materiam diligendi.

Accede ergo ad ipsum per hunc modum. Debes non fictitie, sed veraciter cogitare, te assistere Deo tuo; ita enim est, ubi est, sicut est in empyreo caelo; et te esse suum, non tuum, recogita; et non dubito, quod ab eo, quidquid ad salutem, non ad tuum damnum petieris, impetrabis. Haec omnia certe sunt incentiva amoris. Quomodo non diliges illum, cuius es, et qui paratus est omnia tibi dare? Nonne multum diligis illum, qui aliquid tibi tribuit? Nonne magis eum, qui omnia, immo etiam tribuit tibi temetipsum? Si ergo te diligis, quomodo ipsum, qui te fecit, non diligis? Tu te destruxisti et adhuc te destruis et te amas; et ipsum, qui te construxit et restruxit et conservat, non amas? Dic ergo Domino: Domine, creatura tua sum, et mihi te ipsum negare non potes.

Sed, antequam procedas, haec, quae dixisti, meditare et inflammare amore. Quis enim amplius se continere potest, quin statim, omnibus oblitis, in Deum se totum proiiciat, non per partes, dum cogitat Deum suum, summum bonum, delicias angelorum, praemium beatorum, homini

infirmo et corruptibili, cuius miseriam nemo posset exprimere, semetipsum negare non posse, et quod, quantumcumque sit infirmus et peccator, si ad ipsum se convertit et ipsum petierit, obtinebit? Hoc nos desiderat petere et largiri, dum inquit (1): *Petite, et accipietis.* Nescio, quid amplius laboramus. Cur quotidie nosmetipsos affligimus circa nihil, cum possidere Creatorem omnium valeamus? Quid ergo amplius quaerimus, si omne bonum sic de levi habere valemus? Cur vitam plenam miseriis quaerimus possidere?

O Domine Deus meus, quid tibi nisi iniuriam fecimus, quod te nobis tribuis sic libenter? Nihil enim tibi confert, si te habeamus, et tamen sic nos diligis, quod te esse nobiscum *delicias* tuas (2) dicis. Quare tantum nos diligis, ut libentius te ipsum nobis tribuas quam aliquid aliud, quod petamus? Et certe, nec ego volo de cetero aliud possidere, ex quo debita petitione habere valeo Deum meum. *Ornabo me monilibus* (3), et ipsum introducam in thalamum cordis mei et ibi secum de cetero requiescam. Bene scio, quod nihil aliud

---

1) Ioan. 16, 24.
2) Alluditur ad Prov. 8, 31.
3) Cfr. Is. 61, 10.

ipse petit; nam intrare desiderat, et diu est, quod pulsavit. Doleo, quod tantum carui tanto bono. Dic ergo ei: Scio, quod plus quam ego me diligis; de me ergo amplius non curabo, sed solum tuis deliciis inhaerebo, et tu mei curam habeto. Non enim possum intendere mihi et tibi. Et ideo permutatim tu intende meae infirmitati, ut ipsam subleves; et ego intendam tuae bonitati, ut in ipsa delecter. Et, quamvis ego tecum lucrer nimis et tu mecum nihil, scio tamen, quod libentius mecum es et me conservas et promoves, quam ego tecum tua perfruar bonitate. Unde hoc? Certe, ut video, ego me odio, et tu me diligis.

Si autem, Domine, vellem discurrere per omnia dilectionis tuae signa, deficerem, quia nec bona naturae nec bona fortunae nec bona gratiae nec bona gloriae, *si hominum et angelorum linguis loquerer* (1), exprimere valerem. Et ideo, his tacitis, in tuum Filium, Pater aeterne, aliquantulum respirabo. Quanta fuit erga hominem tua dilectio, Deus meus, qui eum tantum dilexisti, ut velles, hominem esse Deum, et Deum hominem appellari? Quid enim sibi amplius facere potuisti, quam quod tibi eum inseparabiliter

1) I Cor. 13, 1.

unisti? Quid dicam de sexu fragili? Ipsum voluisti nasci, et qui erat tuus unigenitus proprius Filius, voluisti filium Virginis nominari. Multum quidem, Domine, secundum utrumque sexum exaltasti humanum genus, qui tibi aequalem Filium voluisti hominem esse et filium mulieris. Nam hoc dilectionis signum erga angelos ostendere noluisti; non *enim angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit* (1).

Mirum est certe, quomodo prae tui amore corda filiorum hominum non scindantur. Quid enim habuit Deus aliud facere, quam, cum peccavimus, in inferni nos profundum deiicere et aliam nobiliorem creaturam, si volebat, in instanti creare? Quanta fuit ista Dei dilectio, quod post lapsum dignatus est nos quaerere tam benigne et post eius offensam nos amplius quam prius exaltare? Quid fuit istud? Nunquid exaltationem meruit nostra culpa? Certe non; sed, ne a te amplius fugeremus, humanam naturam tibi unire inseparabiliter voluisti. Mira videtur tua dilectio, Deus meus, quod te odientes diligis et exaltas. Si ergo nos, qui sumus nihil, tantum diligis qui es summus, cur nos miseri te non

1) Hebr. 2, 16.

diligimus, omne bonum? O cor meditantis, quomodo ex tam excellenti dilectionis effectu (1) non deficis prae amore? Quid in hoc aliud voluit Deus, nisi nos suo inebriare amore? Quanta est haec Creatoris mei dignatio, quod tantum desiderat nos sibi per dilectionis vinculum colligari? Quomodo potest cor hominis aliud cogitare?

Ut sic ergo nos exaltares, Deus noster, voluisti parvus nasci; ut nos bestiales per peccatum caelestes faceres, voluisti inter bestias in praesepio collocari. O mira divinae bonitatis diffusio! o detestabilis nostrorum excaecatio oculorum! o glacies, non cor! Cur non liquescis ad hunc calorem? Heu mihi! nescio, per quam viam Deus amplius nos requirat, ex quo per hanc nos non habet. Sed quid dicam? Christus, qui est receptaculum expulsorum, voluit fugere in Aegyptum. Nunquid, Domine, qui ubique eras, fugere indigebas? Non certe, quia omnes inimicos tuos in tua potestate tenebas; sed hoc facere voluisti, ut hoc pro me patiens tuum mihi manifestares amorem, et ad te fugerem persecutus. O Deus meus! bene video, quod totus es meus et me vis totaliter possidere.

---

1) M *affectu.*

Sed quid plura? Taceo suae vitae processus, qui totus est dilectione plenus; et venio ad alapas et sputa; certe hoc dilectionis signum cor hominis non sufficit cogitare. Si enim nihil aliud unquam mihi fecisses nec etiam facturus esses, nisi quod tu, Deus meus, in mea natura voluisti haec opprobria sustinere, deberem totaliter tuo igniri amore. Quid enim maius Deo, et quid vilius peccatore? Et tamen, Deus, pro peccatoribus a peccatoribus voluisti conspui et illudi. Deus meus, quid fuit istud, quod a creatura tua, quam in momento delere poteras, sic vilia tolerasti? Dicentibus, te esse daemoniacum, benignissime respondebas. O summa tuae manifestatio caritatis, qui talia pro nobis a daemoniacis audiebas! Quid tibi tantum erat curae de nobis, quod te omni opprobrio exponebas? Sed tua nimia dilectio hoc placide voluit sustinere.

O cor plus quam lapideum! o cor non cor! cur non accenderis ex amore? *Lapis calore solutus in aes vertitur* (1), et tu ad tantum calorem immutabilis perseveras. Utinam ergo lapideum esses, non carneum! Et quid mirabilius, quod

1) Iob 28, 2; cfr. Bonav., *Lignum vitae,* fr. VIII n. 29 et *Vitis mystica,* c. 15.

caro cordis lapide durior et insensibilior invenitur? Sed nonne dixit Dominus, quod *auferret a nobis cor lapideum et daret cor carneum* (1)? Immo, ex quo lapis citius immutatur quam carneum cor, det cor lapideum cor carneum auferendo. Ad verecundiam nostram dico. O cor nequissimum, o cor vanissimum, o cor infidelissimum! cur sic te odis? cur sic te laceras et consumis? cur sic te fortiter diligentem non diligis? O crudelissimum cor! cur plus quam vitam mortem diligis? cur te quaerentem non recipis? O lapides et creaturae insensibiles! flete vesaniam cordis mei. Certe, Domine, si me odires, ex quo Deus meus es et solus *refugium meum, protector* et gubernator *meus* (2), diligere te deberem; quanto magis, cum me tantum diligis et me tuis beneficiis sequeris fugientem? Nam tantum me diligis, ut te pro me odire videaris. Nonne tu, Iudex omnium, voluisti pro me iudicari et mortem turpissimam et gravissimam sustinere? O Deus meus! quid mihi amplius facere debuisti? Aut mihi dicito, quid amplius facere potuisti? Certe, si hoc mihi fecisset unus rusticus, ipsum deberem dili-

1) Ezech. 11, 9.
2) Ps. 17, 2 et 8.

gere in aeternum; et ego te non diligam, Deum meum? Non dico: sanguinis effusio, quae tota plena est caritate, sed solum tuus aspectus (1) me inebriare deberet; quanto ergo magis passio tua gravissima et ignominia plena? Certe me totum voluisti, qui mihi te totum tribuisti.

Et quis requirebat hoc de manu tua, Domine mi? Cur tibi curae fuit de tam vilissima creatura? Certe, nihil aliud nisi tua nimia bonitas et immensa dilectio hoc exegit. Nam, si nos redimere volebas, aliter facere potuisti; sed sic facere dignatus es, ut nos tuo amplius inflammares amore. O amor et desiderium cordis! o dulcedo et suavitas mentis! o ardor et inflammatio pectoris! o lux et claritas oculorum! o aurium symphonia! o hostia odorifera Deo Patri! o melliflua gustatio sanguinis (2)! o amantissima palpatio lateris! o anima mea, vita mea, viscera cordis mei! o medulla ossium, vegetatio carnium, sensificatio organorum, intellectus inspiratio et exsultatio mea! cur ego totus non sum in tuum conversus amorem? Quare est aliquid in me nisi amor? Quomodo possum aliud meditari? Et quid amore

1) M *amplexus.*

2) L *fluxus sanguinis.*

tuo dulcius? Quid amplius capit? Cur ergo non sum inde illaqueatus et captus? Undique circumdat me amor tuus, et nescio, quid sit amor. Sed heu mihi! cur sic insensibilis maneo sine causa? Cur vanitas plus quam veritas me allexit? Cur creaturae iniquitas plus quam Salvatoris mei benignitas me attraxit? Cur stercorum odorem plus quam Redemptoris mei amorem nimium adamavi?

O, quantum dilexisti hominem, Deus meus! Non solum pro ipso in cruce pati voluisti, sed etiam ipsum apud inferos visitasti et tecum ad superos reduxisti. Nonne potuisti, Domine, pro ipsis mittere aliquem angelorum, nisi ipsos extraheres per te ipsum? Cur ubique vis homini sociari (1)? Cur in omni loco vis cum homine habitare? Quid habet nisi vilia iste homo? Cur ipsum diligis sic intense? Postquam etiam resurrexisti, adhuc voluisti *quadraginta diebus* (2) homini apparere, secum glorificatus vesci voluisti, et *pacem donans te ei palpabilem* tribuisti. Sed, Domine, nonne sufficiebat homini, quod pro ipso fueras crucifixus et demum ipsum extraxeras de inferno? Videtur, quod tantum hominem dilexeris,

1) L *hominem sociare.*

2) Respicitur Act. 1, 3 seq. et dein Luc. 24, 36.

ut ab ipso non valueris abstinere. An ignorabas, quod de tam excellenti passionis beneficio fueramus ingrati? Etiam quos speciales (1) habueras, increduli exstiterunt; quomodo ergo nos potuisti amplius intueri? O quam mirabilis est tua dilectio, cum non possis ab hominibus separari! Nonne, quia ascensurus eras ad dexteram Patris tui, potestatem homini dimisisti, ut te, cum velit, habeat in altari? Hanc potestatem ei, antequam mori inciperes, tribuisti, ne amittere te timeret. Sed, o cur hoc facere voluisti, cum ad eos missurus esses Spiritum sanctum? Cur semper cum homine vis morari? Sed tuo corpore incorporare nos totaliter voluisti et tuo nos voluisti potare sanguine, ut sic tuo inebriati amore tècum unum cor et unam animam haberemus. Quid enim est aliud tuum sanguinem, qui est sedes animae (2), bibere, nisi nostram animam tuae inseparabiliter colligare? Hoc certe est quod vis, hoc est quod desideras, Deus meus, hoc est, Redemptor et Domine mi, quod tanto tempore procurasti; pro hoc enim a tua infantia laborasti. Hoc nobis concedas qui pro nobis plenum amore sanguinem effudisti. Amen.

---

1) M *spirituales;* dein *exciderunt.*

2) Cfr. Levit. 17, 11 et 14.

Caput XVIII.

Quod homo se perfecte odiat, ut Deum perfecte diligat.

Quia ad dilectionem Dei habendam impedit dilectio sui, et quanto plus intenditur una, remittitur altera, ideo, ut perfecte possimus Deum diligere, oportet nosmetipsos perfecte odire. Tunc autem te perfecte odis, cum appetis pleno corde ab omnibus conculcari et vilissimus reputari, flagellari, deiici et quasi ad nihilum redigi, et haec omnia reputans esse pauca in tuis iniuriis delectaris et in tuis tribulationibus consolaris, et non solum ab hominibus vis hoc inferri, sed etiam cupis, eos credere, te istis iniuriis et tribulationibus esse dignum. Hoc dico, quia multi appetunt sustinere adversa, ut in eorum tolerantia ab hominibus commendentur; tales autem non se odiunt, sed diligunt et mercedem suam

recipiunt in hoc mundo. Tunc etiam te perfecte odis, quando non solum vis ab aliis conculcari, sed etiam temetipsum tantum abhorres, ut vix temetipsum valeas tolerare, et es tibimet abominabilis nimis et velles etiam a creaturis irrationalibus et insensibilibus impugnari et, cum aliquid propter tuam necessitatem delectabile aut non afflictivum recipis, contra temetipsum turbaris, solum Deum quaeris et omnia renuis extra ipsum. Ad hoc autem donum permaximum habendum valebis, si confidentor et ex corde saepe petieris hoc a Deo. Ex parte tamen tua possunt esse aliqua inductiva et dispositiva ad donum istud.

Primum quidem considerare debes, quod natus es in peccato; et ex quo ab illo lavacro regeneratus es et purgatus et lotus, postquam usum liberi arbitrii usque ad hanc horam habuisti, quasi continue peccasti immemor primae (1) lotionis quae derivavit a latere Iesu Christi, et divinam non reverens maiestatem, in cuius praesentia existebas, et temetipsum offendens plus quam aliquis crudelissimus inimicus. Quomodo te, si haec cogitaveris, non odibis? Et quid odimus nisi mala contraria et nociva? Quid enim peius quam se

1) M *propriae*.

opponere summo bono? Quid contrarius quam sanguinis Christi evomere medicinam? Quid nocivius quam suae animae occisio? Et tu tibi talis fuisti etiam plus, quam valeas cogitare.

Debes etiam cogitare, quod, quanto ab extrinsecis amplius molestaris, tanto magis praecluditur tibi via undique, ne vageris per devia et affectum applices creaturae, sed in solo Deo altissimo requiescas. Quis ergo non odibit illius clausurae apertionem, unde potest exire a Deo? Certe tunc aperitur, cum propria tribulatio non amatur, sed ab animo effugatur, potius volens quiescere in stercore quam in Deo.

Cogita etiam, quod soli Deo debetur reverentia et honor, et ipse in se et in suis creaturis solus est diligendus. Et ideo, si vere Deum diligis, debes, te honorari et diligi ab hominibus, abhorrere. Quomodo non abhorrebo, mihi attribui quod est Dei? Immo oppositum potius affectabo, ne, si vellem tenere medium, currerem in extremum.

O, quam utiles sunt istae afflictiones extrinsecae! Certe, per ipsas in cognitionem nostrae miseriae devenimus et per hanc cognitionem nostri devenimus in cognitionem Dei. Immo (1), quanto

1) M *nam*.

quis magis suae vilitatis est cognitor, tanto est magis divinae maiestatis inspector. Quid ergo utilius, quam per hoc humiliari et sic ad caelestia exaltari? Quis ergo renuet, se odiri et ab omnibus conculcari? Certe, nescio, nisi stultus. Si enim times, o homo, quae a corporibus inferuntur, quanto magis timere debes quae a Domino infligentur? Et, si illa times, certe ista diliges et amabis; nam istae sunt viae ad patriam et materia magni boni; consolationes vero sunt viae ad poenam et occasio magni casus. Istae, scilicet consolationes et honores, animas inficiunt et deturpant; hae autem, scilicet tribulationes, animas lavant a maculis et purgant a scoria peccatorum, ut sic dealbatae et mundae videant Deum suum. O Deus! quis non appetat hoc habere, nisi qui non appetit te videre, aut qui non appetit evolare? Et quomodo probatur aliquis tuus verus amicus, nisi qui pro te adversa voluerit sustinere? Nunquid vera amicitia probatur in consolationibus et honoribus huius mundi? Certe, sic pauci invenirentur mali, quia pauci sunt et vix aliqui, qui non appetant consolari. Sed certe illi tui filii concernuntur, quos hic corrigere non desistis; nam semper cum talibus commoraris. Non ergo hoc renuat, sed diligat, nisi qui non vult tanquam

specialis amicus, immo tanquam carissimus filius, cum Domino habitare.

Haec semper nos stimulant et faciunt currere et proficere ad maiora, faciuntque conscendere ad montana et ad caelestia contemplanda. Haec sunt certe, quae ceteris patientibus membris compati instruunt. Quomodo vere proximo iniurias et passiones et damna sustinenti compatiar, qui haec nunquam probavi? Propterea dicit apostolus ad Hebraeos (1): *Non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris,* et hoc est, quia in suo corpore fuit ipsas expertus, sicut ibidem innuitur. Et si nunc aliis non *compatimur*, quomodo *conregnabimus* (2) secum? aut si compassionem non habemus, quomodo sumus commembra? aut si commembra mortua et insensibilia sumus, quid restat, nisi ut de corpore excidamur? Aut dicito mihi: quomodo ipsi capiti Christo pro te mortuo scies compati, qui non pateris? aut, si non pateris, quomodo sibi poteris conformari? Sed certe, si te aliud non moveret, hoc solum te deberet facere avidum passionum. Quid peius aut magis mortiferum, quam

1) Hebr. 4, 15.
2) II Tim. 2, 12.

passionibus Christi non compati et tanti beneficii ingratum existere? Aut quid fructuosius et suavius, quam illius passionis ex corde compassionem plenam gerere? Quod bene nullus potest facere, nisi qui sit iniuriam expertus. Aut dic mihi: quid nobilius quam assimilari Filio Dei? Quomodo, si sibi dissimiles fuerimus per consolationes et honores, erimus sibi confratres in regno? Minime.

Quid enim abominabilius quam videre, pro me stercore Filium Dei in assumta humanitate iniurias et opprobria sustinere, mortem gravissimam et turpissimam tolerare, et velle ab omnibus honorari et deliciis afflui? O homo, stercus et plus quam stercus! pro iniuria, quam sibi feceras, ipse semetipsum ad talia iudicavit, ipse accusator (1) et iudex super se reflexit iudicium, et tu coram eo, qui adhuc sibi iniuriaris, vis pertransire immunis? Saltem coram oculis sic pro te afflicti praetende moerorem et corde te offer ad consimilia patiendum. Certe non dubites, quod, ex quo est pro te sufficienter punitus, si hoc iterum sustinere volueris et toto appetieris corde, non sustinebit, ut scilicet tam acerba, qualia ipse sustinuit, sustineas, quia non vult, ut pro eadem

1) Alii *auctor* vel *actor*.

iniuria bis passio inferatur. Sed, quod credis esse iniuriam, in honorem convertet et, quod credis tribulationem esse, consolationem videbis et, ubi credis esse damnum, fructum reperies multum. Quanto iniuria maior, tanto honorabilior eris; quanto tribulatio et afflictio intensior, tanto magis consolaberis et, si omnia pro ipso amiseris (1), certe ipsum, qui est omnia, possidebis. Si autem honores appetieris, deprimeris; si consolationes, tribulaberis; si temporalia, pauper eris. Qui praeter Deum aliquid appetierit, se affliget, immo etiam, si se indebite dilexerit, se occidet; si autem se odiens solum Deum dilexerit, ipsum plenarie possidebit. Unde qui Deum diligit, ipsum habet et, quanto perfectius diligit, tanto perfectius ipsum habet.

O stultissimi homines! cur hic oculos vestros non ponitis, si vultis et vos et omnia abhorrere (2)? Certe, cum videritis, vos possidere Creatorem omnium, et mens vestra in ipso quietata fuerit, omnia vanitatem reputabitis, et corpora vestra, dum adhuc sunt mortalia, tanquam stercora erunt vobis abominabilia. Et, sicut qui auferret stercus vel aliquid abominabile ab oculis vestris, sic qui

1) M *omiseris.*

2) M *omnia vestra pertingere ad honorem.*

vos usque ad mortem affligeret; et, sicut qui detestaretur quod abominamini, gauderetis, sic qui vos detestando iniurias et opprobria vobis dixerint et fecerint, exsultabitis. Nam nihil vobis poterit evenire adversi, quia consolationes et honores non poterunt vos decipere, eo quod de ipsis non curabitis, quia contrarium appetitis. Adversitates non poterunt vos deiicere, quia ipsas affectatis; immo, quanto est maior tribulatio, tanto vobis erit maior consolatio, quia magis in hoc casu adimplebitur desiderium vestrum. Nam certe sic deberet esse. Et quis non deberet gaudere, si separaretur a vanitate et coniungeretur veritati? Nonne haec omnia sunt vanitas? Et quid veritas, nisi Deus? Nihil. Et ideo omnia praeter Deum aut, quae in ipsum non tendunt, abhorrenda sunt. Si enim sic esset, o homo, quod in solo Deo velles affici et suum solum sitires honorem et te, ut dictum est, non diligeres, sed odires et ab aliis appeteres conculcari, viam diabolo praeclusisses, ut penitus ad te intrare non posset. In hoc enim concordant doctores, quod omnis mali est causa timor vel amor, immo etiam ipsius timoris causa est amor sui. Quomodo ergo ex timore peccare poteris, qui desiderabis affligi et contemni et ab omnibus conculcari? et quo-

modo amore tui peccare poteris, qui perfecte te odis et Creatorem solum diligis?

Haec certe si habueris, ad perfectam innocentiam et sanctitatis consummationem pertinges et qui fuisti aliquando servus diaboli, eris permaximus in regno Dei. Quid ergo assequi ista tardamus? Quare negligimus hanc mentis perfectionem habere? Nunquid hoc donum excellentissimum negabit Deus, si ab eo ipsum postulare volumus? Certe non; de hoc te certifico, sicut possum; immo hoc libentissime tibi dabit. Non dico, quod det tibi pati, quia hoc non omnibus concedit, sed tibi tribuet velle pati; et hoc tibi sufficit, quamvis melius esset et velle et pati; et forte istud, si dignus fueris, dabit tibi.

Et si dicis: non possum tantum laborare, ut ad tantam sanctitatem venirem, ut solum Deum diligerem et me super omnia abhorrerem et ab aliis appeterem vilipendi; ego dico tibi, quod ad hoc non requiritur iste extrinsecus labor aut corporis valetudo, sed potius solitudo, corporis (1) quies, labor cordis et quies mentis. Non requiritur, dico, multus labor extrinsecus, quia per illum distrahitur homo interior; labor tamen pietatis

1) M *communis.*

ad hoc et ad omnia utilis est, dum tamen homo quietem mentis in labore custodiat. Nec requiritur valetudo corporis, quia repugnat valetudini spiritus. Requiritur autem labor cordis in surgendo et totaliter se avellendo ab istis infimis et ad caelestia ascendendo; et, dum ascenderis, requiritur quies mentis. Multum enim abhorret Deus eum, qui ipsum degustat et ibi non quiescit, sed potius, tanquam si Deus non esset sibi sufficiens, redit ad amplexanda stercora et sic inquinatus vult Dominum iterum amplexari. Sed certe, hoc uni rustico facere non auderemus; et ipsum Deum plus omni rustico vilipendimus et nihilominus volumus, quod in omnibus satisfaciat voluntati nostrae.

Sed non est ista via; sed si impetrare volueris sine repulsa tam praecellens donum quam alia, ad ipsum reverenter conscendas, ibique quiescas et sollicite roga eum, ut te non permittat amplius redire ad vomitum (1). Et, si sic feceris, non dubito, quod ab illo splendore aeterno illuminatus tuas miserias recognosces et super omnia te odibis, divinam experieris bonitatem et omnia tanquam stercora refutans coniungeris amoris vinculo soli Deo. Quod ipse nobis concedat, qui benedictus est in saecula. Amen.

1) Respicitur II Petr. 2, 22.

Caput XIX.

Quam gloriosum sit et qualiter possit homo mutari in Deum.

O mirabilis *mutatio dexterae Excelsi* (1)! Sicut enim apud homines temporalia diligentes mirabile esset, si quis unum foetidissimum stercus commutaret in omnes delicias et honores huius mundi, scilicet ut pro uno foetidissimo stercore haberet huius mundi plenam dominationem, et quantum ad temporalia ad modum imperatoris, et quantum ad spiritualia ad modum papae, et nullam resistentiam habere posset, et insuper maligni spiritus obtemperarent ei, et non solum terra, sed et caeli et sidera ad suum regerentur nutum, mortificare etiam posset et mortuos suscitare et infirmos curare, et etiam posset cursum

1) Ps. 76, 11.

mutare naturae in omnibus et haberet omnes delicias et divitias, quas citra Deum posset excogitare, immo quas Deus posset facere, dum tamen in Deum non ducerent, sic, immo sine comparatione multo magis, est admirabilis et laudabilis et amabilis illa commutatio, qua quis commutat se in Deum. Nam maior est sine comparatione distantia inter hominem et Deum quam inter quamcumque vilissimam creaturam ad omnia, quae citra se Deus posset facere. Tunc autem homo se commutat in Deum, quando eligit se ipsum odire et solum Deum diligere et circa nihil aliud vult affici nisi solum circa Deum, et ille solus in suo iacet affectu, et de nihilo curat nisi de ipso Deo et totaliter sitit, quomodo per se et per alios honorificetur Dominus Deus suus.

O commutatio desiderabilis! Nam certe, iste vulnera peccatorum in Christi vulnera commutavit et mentis foeditatem in Dei bonitatem, suam vilitatem in Dei maiestatem, suam nequitiam in Dei clementiam, amaritudinem cordis in dulcedinem Creatoris. Nam totus est Dei et nihil nisi Deum requirit. Cor suum plenum est ipso Deo, et totus est in ipso Deo; se ipsum exivit et Deum intravit, zelo Dei sibimet guerram facit tanquam crudelissimo hosti.

Si ergo talis est commutatio ista, cur, serve nequam, infidele mancipium, inutilis creatura, hoc adimplere retardas? Cave etiam, ne hoc adimplere studeas cum tepore operis, gravamine cordis, anxietate pectoris, insensibilitate mentis, sed potius cum omni animi aviditate, fervoris intensione, amoris immensitate, maxime, cum nihil sit homini utilius, nihil delectabilius, nihil nobilius. Si ergo te ipsum exueris et per hunc modum in Deum intraveris, cave, ne extra ipsum possis modo aliquo inveniri; et, si aliqua mentis infirmitate aut negligentia exire contigerit, illuc statim recurre cum fletu et deprecare suppliciter, ut tibi indulgeat et dignetur te fugitivum servum recipere. Et tunc proponas firmiter in corde tuo, ne amplius inde exeas; non dico tamen, ut tale propositum facias, ut te obliges ad novam culpam, quia fragiles sumus et inconstantes. Et si millies ab eo exieris, toties ad ipsum recurras.

Regula istius capituli bona: Nullus potest perfecte cum Deo uniri vel esse, qui alicui creaturae affectum ligatum sive inclinatum habet.

Caput XX.

Quod homo debet libenter dare cor suum Deo.

O Domine! tu te mihi dedisti et a me cor meum petis. Sed quantum est hoc, Domine, qui ita excellens es! Si enim haberem unum cor, quod solum maius esset, quam si simul essent omnia corda filiorum hominum et omnes angelorum affectus et, ut materialiter loquar, maius esset et plura spiritualia et corporalia insimul actu contineret vel continere posset quam caelum empyreum, ipsum totum et totaliter libentissime tribuerem tibi aut tribuere deberem. Et adhuc tanto Domino munusculum parvum, immo quasi nihil esset. Quanto ergo magis illam parvam cordis scintillam, quam habeo, tibi dabo et totaliter in te ponam! Hoc enim permaximum est mihi, quod cor meum habere dignaris. Nonne ergo stultus essem, si illud applicarem de cetero alicui crea-

turae, cum Deus meus velit habere illud? Etiam in me ipso nolo, quod remaneat amodo, sed volo, ut totaliter requiescat in te, qui creasti illud ad laudandum te. Melius est enim, quod cor meum remaneat in aeterna iucunditate, in divina maiestate, in immensa bonitate quam in mea fragilitate, in tua deitate quam in mea iniquitate.

Si hoc habere, o contemplative, cupis, multum corde desideres et confidenter ore postules, et *desiderium animae* tuae *tibi tribuet* Deus, et *voluntate tua non fraudaberis;* sed mentem tuam elevans *in benedictionibus dulcedinis* (1) te *praeveniet* et, tanquam *corona* lapidis pretiosi, semetipso mentem tuam *circumdabit.*

Regula: Nullus potest perfecte invenire Deum, qui se perfecte non perdit.

---

1) Ps. 20, 2 et 3; sequitur Isai. 61, 10.

Caput XXI.

Ordinatio ad proximum.

De proximo accipe brevem doctrinam: Unumquemque hominem de mundo reputa te ipsum. Si hoc bene in corde tuo impresseris, non est dubium, quod bonum suum sicut tuum diliges et quod ad salutem suam spectare videris, sicut pro te, sollicite procurabis oratione, exhortatione aut alio modo, si poteris; et cum ipsum videbis bona dicere aut facere, repleberis gaudio, acsi tu illa faceres aut diceres. Cum autem sciveris, ipsum esse in peccato aut in aliquo spirituali defectu, nimium condolebis et ipsum a malo, prout poteris, revocabis et induces ad bonum. De miseriis corporis sic compatieris sibi, acsi illas haberes in proprio corpore, et sic libenter et diligenter servies ei, sicut faceres tibi, immo multo libentius, quia maius est praemium ibi, et etiam, quia te

debes odire et illum diligere. Et, si te offenderit dicto vel facto, non plus curabis, quam si tu ipse tibi hoc fecisses vel dixisses, et eo amplius placebit tibi, quia ibi est maior merendi materia. Et, si quid feceris boni vel dixeris, non plus elevaberis, quam si alius fecisset vel dixisset; et, si aliquem defectum non culpabilem feceris coram eis, non plus curabis, quam si in privato, ubi (1) nullus vidisset, fecisses. Inde etiam sequetur magnum bonum, quod, si unumquemque reputaveris te ipsum, quod nullum specialem habebis, quia omnes tibi singulares erunt, nullum plus altero diliges, nisi in quantum ipsum noveris meliorem, non quia tibi sit plus familiaris vel notus.

Nec etiam circa quantumcumque bonum debemus affici, sed solummodo circa Deum sive in se absolute, sive etiam in quantum isti vel alii tanta bona largitur. Possumus tamen plus orare pro illis, quibus sumus magis obligati. Non tamen sic est orandum pro illis, ut alios dimittamus. Hoc solum tibi appropriabis, scilicet culpam tuam et defectus tuos et, quod te viliorem omnibus reputes, et non solum tua, sed etiam aliena peccata reputes esse tua; et pro ipsis postulabis veniam, sicut pro aliis.

---

1) L *ut*.

Et ne dicas: quomodo possum omnem hominem existimare me ipsum? Hoc te docet facere perfecta caritas, quae te eis coniungens unum facit; hoc tamen clarius intuetur et ad hoc faciendum movetur de facili qui cor suum in amore et honore Dei totaliter radicavit, nihil aliud nec in se nec in aliis quaerens.

Unde haec est regula peroptima, quod qui vult Deum et proximum diligere solum honorem Dei sitiat et cum magna aviditate quaerat, nihil aliud intendens in omnibus.

Caput XXII.

Quod homo semper sit bene ordinatus in cogitatu, loquela et operatione.

Servus Dei nunquam deberet nec aliud nec aliter cogitare, loqui et operari, quam si Deum facie ad faciem videret. Nec enim dubium est, quod sic est nobis praesens Deus et sic nos videt, sicut si essemus in caelo empyreo in sede beatae Virginis, quamvis non sic influat hic, sicut ibi. Et ideo, quamvis eum non videamus, ex quo scimus, ipsum esse iuxta nos et etiam in intimis cordis nostri, non debemus propter hoc plus vel minus nec aliter cogitare, loqui aut facere, quam si semper videremus eum. Tantum enim timeret servus imperatoris, si sciret, quod imperator esset iuxta eum et videret eum, quamvis ipse non posset imperatorem videre, quantum timeret, si ipse imperatorem videret, immo forsitan magis. Nullus est enim servus, qui non timeat proprie, quia do-

minum suum videt, sed quia videtur a domino. Unde si servus sciret pro certo, quod dominus suus non posset eum videre nec scire etiam posset, quid servus faceret, non timeret tunc dominum, ut credo; sed si sciret, se videri a domino, et dominum videre non posset, tunc multum timeret. Quanto ergo magis erga Dominum nostrum, qui nobiscum et in nobis est et omnia intuetur, debemus moveri semper timore, reverentia et devotione, amore et erubescentia peccatorum?

Mirum est certe, quomodo sic modica scintilla, sicut est cor meum, non absorbetur totaliter ab immensa bonitate divina, et quomodo non semper servus Dei amore sui Domini inebriatus incedit. Hoc, credo, fieret, si illi bonitati immensae vellet applicare cor suum. Unde de hoc non dubitet aliquis, quod, quanto magis illi bonitati immensae vellet applicare cor suum, tanto melior et perfectior esset; et qui in summo bono cor applicare posset, ut penitus oblitus omnium praeter ipsum toto animi conamine in ipsum tenderet ibique quiesceret, non statim a tanto bono resiliens, tunc, credo, absorptus dulcedine consummaretur in instanti (1). Tunc inter consolationes et

---

1) L *statu.*

tribulationes, vituperia et honores, blandimenta et opprobria insensibilis pertransiret, nihil sentiens nisi Deum, suum solum affectans honorem. Tunc comprehensor dici posset potius quam viator; beatus, non miser; angelus, non homo; non peccator, sed sanctus.

Et, si ad hoc pertingere cupis, o homo, hanc brevem regulam tene: Quicumque vult esse consummatus in instanti (1), deberet de sua virtute totaliter desperare; et plenarie se committens in manibus pietatis immensae toto corde confidat de ipsa, nihilque, quantum in se est, omittens de contingentibus, fideliter agat, quidquid possit cernere ad sui Domini pertinere honorem. Sed et hoc in praefata regula scriptum est donum Dei permaximum; et qui ipsum habuerit, non a se, sed a Deo totaliter recognoscat, sciens pro certo, quod ad hoc est impossibilis per se et pronus potius ad ignem mortis aeternae.

1) L *statu.*

Caput XXIII.

Quod homo in brevi tempore potest esse perfectus.

Quicumque vult per contemplationem venire ad summitatem montis Dei, hoc attendat, quod semper per mentis elevationem ascendat et nunquam quiescat, dum vigilat. Nam in isto ascēnsu, non quiescere est quiescere (1), et qui quiescere vult fatigatur, nec postea sic bene potest ascendere, immo contingit forte aliquando, quod, cum quiescere vult, in tantum fatigatur, ut amplius nullo modo ascendere possit. In ascensu enim montis materialis, quia caro infirma est, quietem interpolatim requirit; sed in ascensu spirituali, quia *spiritus promptus est* (2), contrarium requiritur, ut scilicet non quiescat, sed, dum fatigatur,

---

1) L *non est quiescere.*
2) Matth. 26, 41.

tunc ascendere debet velocius, currere fortius, et recentior fiet et avidior ad maiora erit, et sibi levius apparebit iter, delectabilius et suavius et dulcius gradietur, non quiescere eligens pro quiete.

Quis enim dubitat, quod, quanto contemplativi spiritus spiritui increato amplius appropinquat, quod tanto spiritualior fit et vivacior et potentior? ac approximatione illius ignis aeterni amplius inflammatur et animatur, et ei vires, quas per elongationem amiserat, restaurantur. Refocillatur etiam, quod fuerat lapsus, non quiescendo quietem inveniens. Cum amplius tendit in summum bonum et in ipsum clarius intuetur, amplius appropinquat et semper vehementius anhelat ad id nitens, quod potest ei intimius et intensius adhaerere eius dulcedinem praegustans (1).

Et ideo stulti sunt et, quid sit contemplatio, inexperti, qui causa resumendi vires quiescunt. Tunc habeant pro certo, quod in illa quiete vires non resumunt, sed potius vires perdunt. Unde si fortiter currit contemplativus, tunc suave est ei; si plane vadit, incipit fatigari; si quiescit, vires perdit. Et ideo non est aliud, nisi cum Virgine

1) L omittit *quis enim* usque *praegustans.*

ascendere ad montana cum festinatione (1). Si quis hoc capere non potest, sed vult quiescere et tamen ascensum in desiderio habet, hoc restat remedium, quamvis non valeat his, quae dicta sunt, adaequari, scilicet ut saltem modum ascendentium materialiter non deserat; nam qui materialiter montem ascendunt et in medio fatigati quiescere volunt, non descendunt ad quiescendum in valle, quia sic ad summitatem nunquam pervenire possent et stultissimi reputarentur ab omnibus.

Sic sunt ab omnibus stulti reputandi et nunquam ad cacumen contemplationis perveniunt qui hodie per contemplationem modicum vel multum ascendunt et affecti taedio ad locum, unde venerant, sive ad statum, unde recesserant, redeunt ad quiescendum, et in peccatorum sive vanitatum vallibus sive imperfectionis planitie credunt ad ascendendum effici fortiores, ignorantes, quod vix poterunt ad locum sive statum, quo venerant, pervenire. Et ista est ratio, sicut credo, quare hodie sic pauci contemplativi attingunt supercilia montis. Unde si homo ascenderet hodie, quantum posset, et ibi quiesceret, non retrocedens aliquo modo, et cras elevaretur altius et ibi etiam

1) Luc. 1, 39.

figeret pedem cordis, et postmodum inde ascenderet sic faciendo semper, dico vobis, quod iste plus proficeret in uno mense quam alius in quinquaginta annis, qui retrocederet ad quiescendum et semper rediret ad idem. Et credo, quod iste in brevi consummaretur in statu et esset gloriosus coram Domino et a tota caelesti curia praedilectus.

Si in monte aliquid timueris, curras ad cavernam lateris Christi; si vero non potes abstinere a valle, quia ibi nutritus es, nec vis adimplere quod dixi, hoc saltem fac, ut ad vallem tuae miseriae et totius humani generis condescendas per humiliationem tui et compassionem proximi, tam de tuis quam de alienis dolendo peccatis et pro eis veniam postulando a Deo. Quod ipse concedat qui est benedictus in saecula. Amen (1).

---

1) M addit: *Hic completur liber.* L addit: « Unde in brevi regula haec omnia comprehende. Qui per contemplationem vult pervenire ad summitatem montis Domini, non quiescat vel retrocedat, donec assecutus fuerit, quod intendit, nisi descendere velit ad suorum et aliorum tristitiam peccatorum ».

INDEX

Canticum pauperis pro dilecto

Confitebor tibi, Domine Rex, et collaudabo te, Deum Salvatorem meum (1), quoniam non sustinuisti *in morte* meam animam miseram *obdormire* (2). Dum enim in adolescentiae deviis oberrarem, *audivi* vocem *post tergum monentis* (3) ac « quare moreris miser »? misericorditer acclamantis. A somno igitur pietatis tuae stimulis excitatus *in lectulo meo per noctes quaesivi quem diligit anima mea* (4). Sentiens enim, intima mea, quamvis tenuiter, tamen naturaliter veritatem

---

1) Eccli. 51, 1.
2) Ps. 12, 4.
3) Is. 30, 21.
4) Cant. 3, 1.

quaerere, bonum diligere et ad beatitudinem aspirare, haec mihi per rationes humanas quaerens noctibus obscuriores non potui invenire. Sciens insuper, philosophiam esse cognitionem hominis de se ipso, conversus ad intima mea reperi animam meam infirmam desideriis, hebetem studiis, vicinam vitiis, et quaesivi ei longo tempore medicinam. Et quoniam voluptas corporis, quo intensior est, eo vehementius impedit rationem, dum rationem optabam habere liberam, conclusi, fugiendam esse voluptatem sensibilem, ac errore plenam esse sententiam Epicuri.

Converti deinde contuitum ad rerum fluentiam terrenarum; et quia ipsae propter delicias appetuntur, quas spreveram, et quia implicatione sua vehementer dividunt et distrahunt animum possidentis, decrevi eas a me exemplo antiquorum philosophantium penitus elongare.

In gloriam demum temporalem levatis oculis vidi, eam fumo similem existere, dum et fugit velocius et excaecat ac affligit oculos inaniter gloriantis. Haec sunt *Aegypti porri, cepae et allia* (1), quae excitant et inflammant libidinem et extorquent angustias inanium lacrymarum, pro

1) Cfr. Num. 11, 5.

quorum desiderio iratus est Dominus populo murmuranti. Absolutum igitur ac vix avulsum ab his omnibus animum transtuli in rerum intellectualium regionem.

Occurrit autem logica primitus ascendenti, cuius legibus dum conarer verum a falso discernere, inferendi seductus libidine delectabar amplius rationibus apparentibus verum avertere falsumque fulcire, quam veritatem solidis rationibus declarare. Cernens tandem, studium illud fallaces delicias ministrare, dum sophistica pariebat garrulam, dialectica solidam non dabat scientiam, analytica in domum Daedali ducebat involutam et Aegypto (1) *spiritum vertiginis* (2) excitantem, intellecto etiam, confundendos esse *texentes subtilia* (3) et telas eorum esse ad vestimenta invalidas (4), transivi ad physicae indaginem motus et mobilia pertractantis. Sciensque in rebus instabilibus intellectum minime stabiliri, et in omnibus physicae difficultatibus sapientum etiam peritissimos discordare et nullam posse inveniri completam rationem operum divinorum, quin potius crescere ignorantiam perscrutanti, *stultumque fieri homi-*

1) L *ex Aegypto*. 2) Is. 19, 14.
3) Is. 19, 9. 4) Cfr. Is. 59, 6.

nem a scientia sua (1), ad partem Hippocratis studium inclinavi. Qui dum mihi diceret, vitam esse brevem, artem longam et fallax experimentum, timens fallaciam, in illo exercitio renui consumere temporis brevitatem.

Audita proinde laude mathematicae, quae theorematum altitudine demonstrationumque certitudine certificat veritatem, eius gymnasia introivi. Cumque eam cernerem totam duobus accidentibus incumbere declamandis, numero scilicet et magnitudini corporeae, attendens in substantiis nobilissimis non esse nec magnitudinem nec numerum, ut a mathematicis ventilatur, illiciebar tamen paululum illa mathematicae parte, quae ex motu siderum colligit praesagia futurorum. Considerans vero, illam non demonstrationibus deduci, sed experimentis frivolis inniti, sciens etiam ex illius negotii peritissimis, efficaciam siderum super habentes liberum arbitrium esse inter possibile et necessarium, posseque sapientem sideribus dominari, vidi a signis caeli non esse metuendum, praesertim cum circa illa sapientes Pharaonis praecipitent assidue consilium, vanaque reputavi opera et risu digna. Et quia in corporibus illis,

1) Cfr. Ier. 10, 14.

quae uniformiter moventur, nulla est certitudo huiusmodi futurorum, collegi infallibiliter, multo fortius erroneas esse coniecturas talium in dispositionibus elementorum secundum pyromantiam seu aeromantiam seu hydromantiam seu geomantiam seu nigromantiam, insaniam turpissimam indicans in his, quae fides dissuadet et ratio deridet, anili decipi fictione, in metaphysicae transii regionem.

Videns igitur, in ea tractari quidditates insipidas et principiis abstractis principia substantiae sensibilis confusibiliter permisceri, et tandem numerum substantiarum separatarum motibus corporum principalium coaequari, quasi otiosi sint spiritus nobilissimi, nisi corporum obsequiis deputentur, vidi eam *deiectam* esse, *dum allevaretur* (1), et concludi, humanam sapientiam in errore.

Cernens igitur, horum implicatione morbum non sanari (2), sed differri remedium et augeri periculum, ad philosophiae moralis me contuli disciplinam, didicique ibi « virtutes in medio consistere (3) », virtutes heroicas arduas esse, ad finem felicitatis omnia ordinare; sed, sive in corpore sive

1) Ps. 72, 18.
2) Cfr. Bonav., *Collat. in Hexaëm.*, VII n. 9 sq.
3) Arist., *II Ethic., c. 6.*

extra corpus quaerenda sit felicitas, non audivi Aristotelem asserere. Pythagoricos insuper et quasi omnes alios philosophos vidi plane astruere, animam beatam esse non posse nisi a corpore separatam.

Sed quia in physicis didiceram, *animam uniri corpori ut formam materiae, impossibileque esse, formam sine connaturali sibi materia perfectionem ultimam obtinere, hanc fatuitatem horrens telasque aranearum talium inquisitiones esse cognoscens, ad leges transii imperiales, quae ethicae famulantur, invenique ibi verborum phaleras (1) sententiasque voluntate principum firmas ab aliis principibus in pluribus abrogatas, transitoria tractantes et ad amorem temporalium idcirco corda hominum inflammantes, quia amorem sui subiecti solet imprimere scientia animo studiosi. Cernens igitur, in legum illarum studiis homines subtilissimos subito hebetari, simplicissimos in malitiam deflecti, mundissimos terrenis affectibus implicari, exemplo naufragantium didici disciplinam, sciens, comminari Dominum populi sui oppressoribus Palaestinis, quod interpretatur (2) *os malleatoris.*

1) Id est *ornamenta.*

2) Cfr. comment. card. Hug. a S. Charo in Ps. 86, 4 (edit. Venet. 1754 tom. II pag. 226 B col. 2).

In silvam igitur quaesiturus refrigerium recessi paululum Gratiani, et tam ex abrogatis quam ex approbatis reperiens ibi migma compositum (1) et legum strepitum sacris canonibus permixtum (2), quasi Dagon arcae cernerem copulari, fugi Philisthiim, idcirco praecipue, quia illud genus hominum didiceram *inclytos Israel in* tumoris *montibus* (3) iugulasse.

Perquisita igitur sapientia antiquorum, lucide intellexi, humana investigatione non posse sapientiam inveniri (4). Studui igitur illi lumini animum alligare, a quo lucis intellectualis radii derivantur; et hoc studio « religionem a religando didici appellari (5) ». Existimans autem *resinam esse in Galaad* (6), quod sonat *revelatio*, ex Galaad censui *mihi caput Libani* assumendum. Clausis igitur ad caduca oculis, ut manentia viderem, stultizans, ut saperem, nisus sum cum capreis illis ardua petere, *quae de monte Galaad ascenderunt* (7).

Impegi tandem in consortium hominum horribiliter carnem crucifigentium, terrae plenitu-

1) Cfr. Is. 30, 24. 2) L *commixtum.*
3) II Reg. 1, 19. 4) Cfr. Is. 40, 28.
5) Lactant., IV *Divin. Inst.*, c. 28 (P. L. 6, 536).
6) Ier. 8, 22. 7) Cant. 4, 1.

dinem contemnentium, qui se toti humano generi subiicientes minores se fratres in huius rei indicium appellant. Quorum vitam in quibusdam laudabilibus philosophorum famosissimorum vidi esse simillimam: in paupertate scilicet Socraticis, in pedum nuditate ac munditia Platonicis, in asperitate Academicis, in incessabili inquisitione sapientiae Peripateticis; et haec se facere affirmabant amore Domini Iesu Christi, ad ea ipsius exemplis ac doctrinis pariter informati. Accessi denique propius, ut viderem, an haec regulis evangelicis concordarent, et vidi, ipsum Dominum omnia transitoria contemnere et ad contemptum omnium alios provocare. Prospiciens ulterius in ipsius Domini mores et opera, incidi paululum in stuporem, cum ipsum sibi cernerem quoad aliquid difformiter ambulantem; inveni enim eum *cum peccatoribus manducantem* (1) et bibentem et sic utentem communibus, ut *vorator ac potator* (2) vini ab aemulis diceretur; visusque mihi fuisset Ioannes ille perfectior, qui adeo erat a communibus abstinens, ut *non manducans neque bibens* (3) ab hominibus diceretur, nisi ad memoriam

1) Matth. 9, 11.
2) Matth. 11, 19. 3) Matth. 11, 18.

revocassem, Dominum *quadraginta diebus et noctibus ieiunasse* (1) et oblatos cibos fatigato corpore lapsaque meridie respuisse (2).

De huius autem varietatis causa consului probatissimum Seniorem, qui sibi *pro zona* assumserat *funiculum, pro crispanti crine calvitium et cilicium pro fascia pectorali* (3), et variato (4) assumentis difformibus sacco opertus (5) prophetalem habitum praetendebat. Qui et dixit mihi, quod in Christi uno *corpore, quod est ecclesia* (6), quidam sunt robustiores onera portantes, angelicam vitam agentes, quidam infirmiores, qui necesse habent humanius ambulare (7). Sicut igitur idem magister unius artis industria maiora capaciores docet, minores in minoribus instruit rudimentis sine suae sapientiae detrimento, sic ipse Dominus maiores verbo et exemplo informans ad ardua districtius in ieiunio et similibus ambulavit, minoribus vero compatiens rigorem aliquando temperavit, peccatoribus in his, quae peccata non sunt, quae etiam a perfectis in casu

1) Matth. 4, 2.
2) Ioan. 4, 32 sqq.
3) Is. 3, 24.
4) L *varicato.*
5) Cfr. Ioel 1, 13.
6) Col. 1, 24.
7) Bonav., *De sex alis Seraph.*, c. 3 n. 9 et *Determin. quaest.*, p. I q. 8 et 9.

sine imperfectione ex simili circumstantia fieri possunt, humiliter se conformans (1). Scivit enim, futuros esse haereticos cibaria huiusmodi damnaturos, quibus infirmiores communiter recreantur, et idcirco usu suo usum talium esse licitum confirmavit. Praesciens insuper, futuros esse hypocritas carnes in abditis devorantes et ab eis publice abstinentes, in deserto rigidissime abstinuit, publice hominibus se conformans et damnans hypocrisim austeram aforis et in abscondito delicatam (2).

Approbans igitur auditam sententiam Senioris, extentis ulterius aspectibus, reperi aliam varietatem in Christo, videns ipsum, volentibus eum lapidare Iudaeis, fugae latibulum quaesivisse (3), et alibi se sponte crucifixorum manibus obtulisse (4); et super hac varietate quaesivi consilium Senioris. Qui ex praedicta veritatis regula dictavit sententiam solidam: Nosti, inquit, quod infirmioribus tutius est fugere, quam se agoni exponere incaute; quos in hoc, si fiat, voluntaria sua fuga voluit, ne desperent, Dominus con-

1) *Apol. paup.*, c. 5 n. 5, 6 et c. 6 n. 2.
2) *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 2 n. 26.
3) Ioan. 10, 39.
4) Matth. 26, 24; Is. 53, 7.

solari (1). Perfectioni insuper non semper repugnat fugere, utpote cum ad tempus pro ecclesiae utilitate furori ceditur, vel cum certamen clarius praesentitur; quibus casibus cessantibus exemplum se praebuit imitandum perfectioribus, cum sponte sustinuit mortem crucis.

Senioris igitur directus prudenti responso vidi in vita Christi varietatem tertiam, quae me plus ceteris commovebat. Vidi enim Christum discipulis ad praedicandum missis omne viaticum inhibentem, peram et sacculum interdicentem, et ne possiderent pecuniam vel portarent (2); ipse autem Dominus imminente passione sua, Iuda baiulo, loculos legitur habuisse. Seniorem igitur rogavi edisserere dictis huiusmodi varietatem, quid scilicet praetendat. Respondit Senior: Attende, inquiens (3), an Christus semper loculos habuerit, in quos etiam usus loculorum pecuniam decreverit dispensari. Domine, tu scis, inquam. Attende, ait, in evangelio nusquam fieri mentionem de loculis,

1) *Apol. paup.*, c. 4 n. 3 et 16. — L « incaute; et ideo si aliquando ab aliquibus fugiatur aut ratione infirmitatis, aut aliqua rationabili causa, Deus et Salvator voluntaria fuga sua, ne desperent huiusmodi, voluit consolari ».

2) Luc. 9, 3.

3) *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 4 n. 8 sq.

nisi sexto die ante pascha, id est transitum ipsius Domini ex hoc mundo ad Patrem (1), et ipso coenae tempore, quo lapso comprehendi voluit et in crastino crucifigi. In praecedenti autem serie evangelii leguntur mulieres sanctae fuisse cum Domino comitatae eique cum discipulis de suis facultatibus victualia ministrasse, Lucae 8 (2). Legitur etiam « in alienis mensis (3) » assidue manducasse, legitur didrachma imperiale non de loculis solvisse, sed de pecunia miraculose in ore piscis a Petro inventa (4), quia, ut super hoc dicit Hieronymus (5), loculorum « pecuniam Christus pro pauperibus deputatam in usus proprios convertere nefas dixit ». Legitur (6) insuper eadem, qua passus est hebdomada, cum tota die usque ad vesperam Hierosolymae praedicasset, circumspecto, si quis eum hospitio reciperet, receptorem neminem invenisse, duceque inopia voluntaria ad domum Marthae Bethaniam declinasse, quia egestas

1) Ioan. 16, 28. 2) V. 2 sq.

3) *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 4 n. 8; cfr. *Apol. paup.*, c. 7 n. 39. 4) Matth. 17, 26.

5) Cfr. comment. in hunc locum. Cfr. Bonav., *Apol. paup.*, c. 7 n. 40 et *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 4 n. 6.

6) Marc. 11, 11 et Beda, III comment. in hunc locum. Bonav., *Apol. paup.*, c. 7 n. 8.

sua hospitium in Hierosolyma non invenit; quod faciliter invenisset, si loculos habuisset. Ex his igitur et similibus adverte, quod sicut aliquando manducavit communia, aliquando non manducavit, aliquando persecutores fugit, aliquando non fugit, sic aliquando loculos habuit, aliquando non habuit, et non habendi loculos discipulis legem dedit, quam et ipse semper quasi servavit, qui *coepit facere et docere* (1). Sed, quia necessitas legem non habet, « tempore passionis de habendis ad tempus tantum loculis dispensavit. Unde Lucae 22 (2) dixit: *Quando misi vos sine sacculo et pera et calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram.* Ibi glossa (3): Non eadem vivendi regula persecutionis, qua pacis tempore discipulos informat. Missis enim ad praedicandum discipulis, *ne quid tollerent in via praecepit* (4), *ordinans, ut qui evangelium annuntiat de evangelio vivat* (5). Instante vero mortis articulo et tota illa gente pastorem simul et gregem persequente, congruam

1) Act. 1, 1. 2) V. 35 sq.

3) Scilicet *ordinaria,* ex Beda, VI comment. in Luc. 22, 35 sq. (cfr. Bonav., *Apol. paup.*, c. 7 n. 39).

4) Marc. 6, 8. 5) I Cor. 9, 14.

tempori regulam decrevit, permittens, ut tollant necessaria victui, donec sopita persecutorum insania, tempus evangelizandi redeat». Haec Beda (1).

Item, quia lex operum in casu et ex causa dispensative solet aliquando intermitti, Christus aliquando ex causa loculos haberi consensit, sciens, non omnes posse in praedictae districtionis semita ambulare. Habuit ergo loculos in summa pro duplici causa. Aliquando pro aliorum mere necessitatibus, ut supra (2) patet ex Hieronymo in solutione tributi, huiusmodi exemplum relinquens ecclesiae praelatis, ut tantum causa dispensationis, non lucri vel commodi sive honoris consentiant bona ecclesiastica contrectari; item habuit aliquando loculos condescendens infirmis, qui habent loculos pro se ipsis, ut doceret, servis Christi non esse peccatum habere loculos, qui altius nihil voverunt (3).

Qui ergo pro Christo carent loculis ambulant in via districtiori ac difficiliori et a mundi periculis remotiori; unde inter Christi discipulos ille solus periit, qui legitur loculos habuisse. Qui vero habent loculos mere pro aliis, si, quantum in se est, optent carere loculis et compulsi ecclesiae

1) *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 4. n. 10.
2) Pag. 144, not. 5.
3) *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 4 n. 6, 11, 12.

auctoritate teneant eos tantum gratia dispensationis, ad se districtionem pauperum servantes et in alios pro debito officii affluentes, sine perfectionis praeiudicio habent eos; qui habendi modus multum est ecclesiae (1) necessarius, quamvis, quantum sit periculosus, doceat multitudo in eo naufragantium manifeste. Qui vero habent loculos pro se ipsis habent eos cum circumstantia imperfectionis, convenientes cum Christo in facto habendi, sed non in modo, et ideo non possunt in hoc de perfectionis apice inter pauperes gloriari. Qui igitur loculis pro Christo carent multum possunt in Domino consolari, quia perfectionem illam paupertatis evangelicae apostolis commendatae soli custodiunt in hoc mundo. Qui vero mere pro aliis habent, misericordiae Christi exsecutores (2) multum sunt laudabiles, si *picem tangentes* minime *inquinentur* (3). Qui autem habent pro se ipsis loculos tanto perfectioni evangelicae amplius appropinquant, quanto, exclusis pecuniarum thesauris, paucioribus sunt contenti (4). Haec Senior.

---

1) L *in ecclesia.*

2) L *habent tanquam Christi exsecutores.*

3) Eccli. 13, 1.

4) *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 4 n. 6 sq. (quibusdam mutatis).

Et dum mihi praedicta sententia de loculis probabilis videretur, cogitare coepi, ex qua parte evangelii tanta posset paupertatis districtio declarari. Respondit mihi Senior inquirenti de evangelio manifeste. Unde Matthaei 10 (1): *Nolite possidere aurum neque argentum neque pecuniam in zonis neque peram in via neque duas tunicas neque calceamenta neque virgam*; et nomine virgae eis prohibuit omne genus armaturae. Haec exponens Hieronymus (2) dicit, quia (3), « si haec haberent, viderentur non causa salutis hominum praedicare, sed lucri. Propemodum necessaria vitae amputat, ut apostoli doctores verae religionis, qui instruebant, omnia providentia divina gubernari, se ipsos ostenderent nihil cogitare de crastino (4) ».

His causis eos in tanta pauperie destinavit: « primo, ut ab eis praedicantibus omnis suspicio tolleretur, dum nulla terrena quaererent et oblata etiam recusarent; secundo, ut virtutes Christi agnoscerent et ostenderent servis suis sine humana providentia necessaria ministrantis; tertio, ut ex eorum cordibus avaritiam radicitus exstirparet, quae

1) V. 9 sq.

2) In Matth. 10, 9 sq.

3) L omittit *quia*.

4) Cfr. Bonav., *Apol. paup.*, c. 7 n. 10.

solet in opulentia (1) mobili et immobili, propria et communi *quae sua sunt quaerere* (2), ut exempla innumera manifestant; quarto, ut omnem sollicitudinem cordium suorum in Domino iactantes ipsius clementia nutrirentur; quinto, ut statum innocentiae in se renovarent, in qua, si stetisset homo, omnia fuissent communia, et nulla proprietas contracta fuisset ad multitudinem vel personam; sexto, ut exemplum darent hominibus perfectissimae largitatis et pietatis, quia teste Hieronymo (3) nemo perfectius erogat quam qui sibi nihil reservat ». Has rationes reperies a sanctis illius perfectionis evangelicae assignari (4).

In istis autem verbis divinis quaedam erant praeceptorie imposita, quaedam permissa vel concessa (5). Erant enim praeceptorie imposita omnia praedicta pertinentia ad pauperiem et asperitatem (6), quae et apostoli servaverunt etiam post Domini passionem; unde Actuum tertio (7): *Argentum et aurum non est mihi,* dixit Petrus pau-

1) L *in affluentia.* 2) Phil. 2, 21.
3) Epist. 52 (alias 2) n. 16.
4) Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 4 n. 3, quibusdam mutatis.
5) Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 4 n. 4.
6) L *austeritatem.* 7) V. 6.

peri eleemosynam petenti, ubi glossa (1) addit: « Hoc dixit memor illius praecepti Domini dicentis: *Nolite possidere aurum* etc. ». Sic exponit illud verbum Actuum Ambrosius, super Lucae decimo capite (2), et Augustinus, tertio *De mirabilibus sacrae scripturae* penultimo capitulo (3). Ad idem est sententia quasi omnium doctorum graecorum pariter et latinorum (4). Hoc patet de Ioanne evangelista in legenda sua, qua utitur ecclesia Romana; hoc etiam legitur de Thaddaeo apostolo primo *Ecclesiasticae historiae* in fine (5); hoc legitur in legenda apostolorum Simonis et Iudae, quae communiter habetur; non in illa, quam quidam pseudographus impie breviavit (6).

Quod autem subdit Matthaeus (7): *In eadem domo manete*, refertur ad illud, quod dicit Lucas

1) *Ordinaria*, ex Beda in Matth. 10, 9.

2) N. 55.

3) Scil. c. 16. — Cfr. Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 4 n. 4.

4) Cfr. Bonav., *Apol. paup.*, c. 7 n. 12 sqq.

5) Eusebii, l. I c. 13 in fine.

6) Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 4 n. 4 et *Apol. paup.*, c. 7 n. 33.

7) C. 10, 11; cfr. Luc. 10, 7.

10 (1) *edentes et bibentes quae apud illos sunt* (2); permissive dicitur, quia ibi potestas datur, non necessitas imponitur apostolis vivendi de impendiis alienis. Alioquin contra hoc fecisset Paulus, qui aliquando sublimius ambulans in sibi necessariis labore manuum se transegit, et primum tamen ipse servavit. Unde dicit Chrysostomus *De laudibus Pauli* (3): « Paulus pecunias non possedit; nam et ipse dicit (4): *Usque in hanc horam esurimus et sitimus* ». Hanc distinctionem praecepti et permissionis colligere potes ex verbis Chrysostomi dicentis super illud Matthaei: (5) *Nolite possidere* etc.: « Omnibus, inquit, eos denudans omnia dedit eis, permittens, eos in domibus eorum manere et nihil habentes introire ». Haec Chrysostomus (6).

Sed o, inquam, Senior, cum episcopi succedant apostolis, quomodo licet eis habere pecuniam aurumque et argentum, si hoc apostolis non

1) V. 7.

2) L addit: *dignus est enim mercenarius mercede sua, hoc.*

3) Homil. 4.

4) I ad Cor. 4, 11.

5) C. 10, 9.

6) Pro praecedentibus cfr. Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 4 n. 4 et *Apol. paup.*, c. 7 n. 12.

licebat? Respondit Senior (1): Bene quaeris; scito igitur, illam paupertatis et asperitatis districtionem non fuisse impositam apostolis ut praelatis, sed ut fundatoribus ecclesiae generalis; ex quo enim missi erant ad exstirpanda omnia cupiditatis saeculi fundamenta, necesse erat, in ipsis omnem in summo contemptum saeculi refulgere; quando autem sic missi fuerunt, praelati nondum erant nec etiam sacerdotes. Receptis autem clavibus post Domini passionem ipsi instituerunt praelatos in ecclesiis commorantes, quibus nunquam fuit interdictum habere necessaria huius vitae; commissa sunt etiam sibi pauperibus eroganda. Sic praecessit leo, secutus est gallus, venitque tertio aries, feliciter singuli gradientes, ut dicitur Proverbiorum 30 (2). Quare, ut dicit Gregorius, *Moralium* lib. XXX (3), primo « apparuit Christus in leone signatus, secundo gallus, id est sancti praedicatores, apostoli in mediis tenebris concinentes, et deinde aries, id est spirituales patres, ecclesiarum praelati videlicet, duces gregum ».

« Succedunt igitur praelati apostolis in eminentia auctoritatis, in debito virtutis et sancti-

1) Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 4 n. 13 et *Apol. paup.*, c. 7 n. 20.

2) V. 29 sqq.

3) C. 3 n. 9.

tatis et officii pastoralis, sed non in forma illius districtae disciplinae et debito paupertatis. Unde Bernardus II *De consideratione* (1) ad Eugenium papam dicit: ‚Nec est locus otio, ubi sedula urget *sollicitudo omnium ecclesiarum* (2). Numquid tibi aliud dimisit sanctus apostolus? *Quod habeo*, inquit (3), *hoc tibi do*. Quid illud? Unum scio: *neque aurum neque argentum*, cum ipse dicat: *Argentum et aurum non est mihi*. Esto, ut alia quacumque ratione haec tibi vindices, sed non apostolico iure; nec enim ille dare tibi quod non habuit potuit‘. Haec Bernardus » (4).

Ex his existimo, ait Senior, tuis dubitationibus satisfactum. Fateor, inquam, ex parte, sed ulterius obsecro edoceri. De sanctis enim Augustino et aliis quibusdam legitur (5), quia coeperunt vivere secundum regulam sub sanctis apostolis constitutam, iuxta quod Actuum 4 (6) scribitur, quod *erant illis omnia communia;* et *quotquot possessores domorum aut agrorum*

1) C. 6 n. 10.
2) II Cor. 11, 28. 3) Act. 3, 6.
4) Hucusque Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 4 n. 13. 5) Cfr. Bonav., *Apol. paup.*, c. 7 n. 37.
6) V. 32 et 34 sq.

erant, vendentes afferebant pretia eorum, quae vendebant et ponebant ante pedes apostolorum.

Adverte, inquit Senior, « districtiorem et sublimiorem esse regulam constitutam ipsis apostolis ore dominico, quam sit illa, quae constituta est sub apostolis multitudini credentium ecclesiae primitivae, in qua erant viri et mulieres invicem congregati (1) ». Nec enim poterat in principio tanta districtio paupertatis imponi personis communibus et promiscuae multitudinis, quanta illis, qui in exemplar perfectionis erant dediti toti mundo. Erant ergo illis conversis, scilicet de plebe, sanctis utique, omnia communia; unde isti verbo immediate subiungitur in Actibus (2): *Et virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi.* Ibi glossa (3): « Discernit ordinem doctorum et auditorum; nam multitudo credentium rebus spretis copula caritatis invicem iungebatur, apostoli vero virtute fulgentes Christi mysteria pandebant ». Coepit ergo sanctus Augustinus sub illa regula vivere, ad quam volebat multitudinem attrahere aliorum, ut

1) *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 2 n. 7.

2) Act. 4, 33.

3) *Ordinaria*, ex Beda in Act. 4, 33 (cfr. Bonav., *Apol. paup.*, c. 7 n. 32).

scilicet clerici sine proprio Domino deservirent; videns autem, eos habere proprium, sustinuit permittendo, ut legitur causa XII q. 1 canone *Certe ego* (1).

Praeterea sanctus ipse Augustinus abstinentiam a vino et carnibus nec instituit nec servavit. Et multa alia perfectionis exercitia sanctus Benedictus tempore posterior adiecit; nec etiam est incredibile, alios posteriores sanctos illi puritati monasticae amplius adiecisse. Pedibus apostolicis leguntur fuisse pretia agrorum posita, non iniecta manibus nec reposita in arcis; eorum tamen nutu ad tempus dispensabantur. Et hanc dispensationem « sicut impeditivam verbi divini » dimissam aliis commiserunt, ut legitur Actorum 6.

Paupertatem autem apostolicam antiquorum monachorum plurimi servaverunt; sicut expresse legitur primo libro *De institutionibus patrum* (2). Unde dicitur, quod aliqui patres altiori spiritu et fervore excitati relinquentes coenobia, quibus omnia sibi communia, ad eremum confugiebant nihil penitus possidentes, sed de operibus ma-

---

1) Canon 18 causa 12 q. 1 (ex August. *Serm.* 355 c. 4 n. 6).

2) Vide potius Cassiod., *De coenobit. institut.*, c. 36 et *Collat.* 18 c. 5 sq.

nuum suarum aut fructu arborum victitabant, ut Paulus primus eremita. De sancto etiam Isaac refert sanctus Gregorius tertio *Dialogorum* (1), quod, cum ei plurimi possessiones offerrent pro monasterio construendo, ille omnia respuens « fortem tenebat sententiam Domini dicens: monachus, qui in terra possessionem quaerit, monachus non est ». Et super illud Lucae 22 (2): *Nunc, qui habet sacculum tollat similiter et peram,* dicit glossa (3): « In hoc datur nobis exemplum, ut nonnunquam, causa instante, quaedam de propositi nostri rigore sine culpa possimus intermittere, verbi gratia, si per inhospitales regiones iter agimus, plura viatici causa licet portari, quam domi habeamus ». Haec glossa. O quam pauca habebat domi qui plura secum portare potuit causa viatici!

Istam etiam vitam sancti illi tenuerunt, quos sanctus Marcus instituit in Alexandria, de quibus legitur II *Ecclesiasticae historiae* (4), quod sua indigentibus primo diviserunt, ut expediti fierent ad praedicandum verbum Dei. Longe autem maior

1) C. 14 (Migne, P. L. 77, 245). 2) V. 36.

3) *Ordinaria,* ex Beda, in Luc. 22, 36 (cfr. Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.,* c. 4 n. 15).

4) C. 16 et 17.

est districtio suis in communi et proprio penitus renuntiare et egene vivere (1), quod isti fecerunt, quam soli proprietati renuntiare et possidere ea cum aliis in communi, ut sanctus docuit Benedictus, turbam illam apostolicorum Actuum imitatus. Et Hieronymus ad Heliodorum (2), quem de monachatu hortabatur, dicit: « Qui in Christo credis, et eius crede sermonibus: *Quaerite primum regnum Dei, et haec omnia adiicientur vobis* (3). Non tibi pera sumenda, non virga; affatim dives est qui cum Christo pauper est. Et hoc tibi occurret antiquorum sanctorum scripta et opera perscrutanti; si habes plura, interroges confidenter ».

Dixi igitur Seniori: Obsecro, cum divitiae sint Altissimi creaturae et bonae sint, quare earum abdicatio tantopere suadetur, cum peccatum census non faciat, sed affectus (4), cum etiam sanctos quosdam, ut Abraham et Iob et plures alios legamus divitiis abundasse. Respondit Senior (5): Scito, inquiens, abdicandarum divitiarum esse

1) Bonav., *Apol. paup.*, c. 7 n. 4 sq. et n. 15, et *Expos. sup. regul. F. M.*, c 1 n. 7.
2) Epist. 14 (alias 1) n. 1.
3) Matth. 16, 33.
4) Gregor., *X Moral.*, c. 30 n. 49.
5) Cfr. Bonav., *Apol. paup.*, c. 7 n. 24 et 25.

triplicem praecipuam rationem; quia scilicet divitiae habitae solent superbiam excitare in animo possidentis. Unde Augustinus *De lapsu mundi* (1), dicit: « In divitiis nihil sic cavendum est ut superbiae morbus. Qui enim non habet pecuniam, non habet amplissimas facultates, non habet, unde superbiat ». Supple quoad hoc: Unde apolus I ad Timotheum 6 (2): *Divitibus huius saeculi praecipe non sublime sapere nec sperare in incerto divitiarum.* — Secundo, quia habitae solent incendere avaritiam; « crescit enim amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit », ut dicit poeta (3). Et Bernardus in sermone (4): « Haec est ratio fugiendarum divitiarum praecipua, quia sine amore quasi vix aut nunquam haberi possunt. Glutinosus est enim animus hominis et faciliter adhaeret omnibus, quae frequentat ». Marci 10 (5): *Quam difficile qui pecunias habent in regnum Dei introibunt;* idem dicitur Lucae 18 (6). — Tertio, quia divitiae habitae perimunt delicias omnes, quae non possunt pecunia comparari. Unde

1) Sermo 14 (alias 110 *de tempore*) c. 1 n. 2.
2) V. 17.
3) Iuvenal., *Satyr.* 14 v. 139.
4) Potius Gaufrid., *II Declam.*, n. 2.
5) V. 24. 6) V. 24.

Lucae 6 (1): *Vae vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram* hic.

Non igitur sunt divitiae malae « essentialiter, sed occasionaliter », iuxta illud Sapientiae 14 (2): *Creaturae Dei factae sunt in odium et in tentationem animae hominum* (3). Licet igitur sine peccato a quibusdam paucissimis divitiae fuerint habitae, magis tamen imitandus est Dominus omnium et magister optimus, qui eas docuit non habere, non solum pro peccato vitando, sed pro regno caelorum efficacius acquirendo.

Istorum autem praedictorum periculorum et consimilium, quae in divitiis sunt, summum est remedium praedictae evangelicae districtio paupertatis non habentis, de quo exterius superbiat aut quadam securitate confidat, non habentis etiam pecuniam, quae habita summe solet animum illicere possidentis, non habentis insuper ad manum deliciarum promptuarium vel pecuniarum depositum, quo faciliter deliciae acquiruntur.

De talibus pauperibus dicit Gregorius in homilia *De divite et Lazaro* (4): « Pauperum vi-

---

1) V. 24. — A et L addunt *hic*. 2) V. 11.
3) Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 6 n. 17. sq.
4) Homil. 40 in evang., n. 6.

tam magistra paupertas cruciat, donec ad rectitudinem perducat ». Qualiter autem divitiarum periculum serpat in loculis vel divitiis in modum loculorum habitis, docent scandala, clamant exempla, quae nulla possunt tergiversatione occultari. De quo tangens Hieronymus in epitaphio Nepotiani (1) dicit: « Alii nummum addant nummo et marsupium suffocantes matronarum opes venentur obsequiis » etc. Quod autem divitiae vel pecuniae afferant secum periculum, docet multitudo abutentium, quia ignis urit tanto fortius, quanto minus eius materia diffunditur.

In his igitur assentiens Seniori in alterum scrupulum impegi denuo, cogitans, utrum ad litteram calceamenta Dominus apostolis inhibuerit deportare (2). Valde enim videtur esse alia sententia doctoris egregii Augustini libro *De haeresibus* c. 68: « Est, inquam, haeresis nudis pedibus ambulantium, pro eo quod dixerit Dominus ad Moysen Exodi 3 (3): *Solve calceamentum de pedibus tuis,*

1) Epist. 60 (alias 3) n. 11.

2) Pro sequentibus cfr. Bonav., *Apol. paup.*, c. 10 n. 4 et *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 2 n. 19.

3) V. 5.

et quod propheta Isaias nudis legitur (1) pedibus ambulasse. Ideo ergo haeresis est, non quia propter corporis afflictionem sic ambulant, sed quia testimonia divina sic intelligunt ». Haec Augustinus.

Quod cum dicerem Seniori, respondit (2), hos haereticos idcirco dictos fuisse, quia putabant verba Dei de pedum nuditate, Exodi 3 et Isaiae 20, ad Moysen et Isaiam fuisse dicta sicut legem ad litteram praeceptorie ab ipsis et ab omnibus aliis observandam, cum illorum verborum littera ad illas tantum duas personas exsisteret referenda. Merito ergo haeretici illi fuerunt, qui sic perverterant sapientiam scripturarum. Adhuc enim tempore, quo divitiae ac deliciae cum temporali gloria hominibus permittebantur, non decuit, tantae austeritatis imperium imponi multitudini pusillorum; reserata autem regni caelorum gloria et praedicata poenitentia, pedum nuditas posita est et imposita non omnibus, sed discipulis et illis, qui volunt eos in hoc voluntarie imitari, ut quoddam poenitentiae fundamentum, Matthaei 10 (3): *Neque calceamenta.*

---

1) Is. 20, 2.
2) Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 2 n. 19 sq.
3) V. 10.

Cuius rationem dicit Hieronymus, super ipsum; « Plato, inquiens, praecepit, duas corporis summitates non esse velandas nec assuefieri debere mollitiem capitis ac pedum; cum enim haec haberent firmitatem, cetera robustiora sunt ». Haec Hieronymus (1). Idem etiam dicit ad Eustochium (2): « Discipuli sine calceamentorum onere et vinculis pellium ad praedicationem evangelii destinantur. Milites, vestimentis Christi sorte divisis, caligas non habebant, quas tollerent; nec enim potuit habere Dominus quod prohibuerat in servis ». Haec Hieronymus.

Acquievissem penitus sententiae Senioris, nisi mihi sancti Augustini sententia exponentis eadem verba evangelii obstitisset. Dicit enim primo *De consensu evangelistarum* (3): « Calceamenta cum dicit Matthaeus non esse portanda, curam prohibet, qua ideo putantur portanda, ne desint. Hoc etiam de duabus tunicis intelligendum est ». Item, Ioannis primo dicit Baptista de Domino (4): *Post me venturus est, qui ante me factus est,*

1) Secundum glossam *ordinariam* (ex Hieron.) in Matth. 10, 10 (cfr. Bonav., *Apol. paup.*, c. 10 n. 8).

2) Epist. 22 n. 19 (cfr. Bonav., *Epistola de sandaliis apostolorum*, n. 2 sqq).

3) L. II c. 30 n. 75.

4) V. 27.

cuius ego non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti. Item, Actuum 12 (1) dixit angelus Petro: *Calcea te caligas tuas;* ibi dicit glossa (2): « Angelo iubente, apostolo implente, exemplum datur non ambulandi sine calceamentis ».

His auditis dixit Senior (3): Haec possent, inquit, imperitos movere, nisi ad lumen oculos convertenti esset eorum solutio in ianua. Cum enim dicit Augustinus, quod Dominus in illo verbo curam prohibet, fateor, verum esse; poterant enim apostoli adhuc rudes iussi ire sine calceamentis timere laesionem pedum vel occasione nuditatis eorum infirmitatem totius corporis formidare et in tali casu sibi suspicari calceamentorum remedium defuturum, et in curam super hoc incidisse. Eapropter inhibet curam nec hanc solam, sed actum etiam deferendi, excepto illo calceamenti genere, quod in Marci 6 (4) legitur fuisse concessum eisdem, ubi de Domino legitur: *Praecepit eis, ne quid tollerent in via,*

---

1) V. 8.

2) *Interlinearis* in hunc locum (cfr. Bonav., *Opera omnia,* t. VIII pag. 388 nota 4).

3) Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 2 n. 21.

4) V. 9.

sed calceatos sandaliis. Unde Beda (1) super illud Actuum 12 (2): *Calcea te caligas tuas,* dicit: « In originali pro caligis vel caligulis graecus habet *sandalia;* hoc enim genus calceamentorum legitur in evangelio apostolis fuisse permissum ». Haec sunt Bedae. Papias (3) etiam dicit, quod « caligae sunt sandalia ».

Prohibet ergo Dominus curam calceamentorum et vestium ferendarum, sed aliter et aliter; quoniam curam vestium prohibet Dominus cum pluralitate, dicens: *Neque duas tunicas habeatis,* id est non plura vestimentorum paria; curam autem calceamentorum prohibet, ea sine omni specificatione simpliciter inhibendo. Non enim dicit: neque duo paria calceamentorum, sicut dicit: *neque duas tunicas,* sed: *neque calceamenta,* simpliciter, absolute (4). Unde instante etiam crastino passionis dixit discipulis: *Quando misi vos sine sacculo et pera et calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis* (5)? Ibi de ferenda singulis

1) *Retract. in Act. apost.,* c. 12, 8.

2) V. 8.

3) Cfr. Bonav., *Opera omnia,* t. VIII pag. 306 nota 14.

4) Cfr. Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.,* c. 2 n. 20 et 21.

5) Luc. 22, 35.

ad tempus pecunia loculorum, donec sopita esset persecutionis rabies, legitur dispensasse, ut dicit ibi glossa (1); de calceamentis autem ferendis nec ibi nec alibi dispensavit.

De eo autem, quod dixisti de verbo Baptistae iuxta litteram, dicit Rabanus (2) super Matthaeum, quod « nihil intendit Ioannes, cum de calceamentis Domini dixit, nisi excellentiam eius et humilitatem ». « Non ergo per hoc ponitur, ipsum habuisse calceamenta, sed quadam collocutione secundum figuram, quae synaeresis dicitur (3), Christi in hoc excellentia declaratur. Vulgariter etiam talia dici solent. Dictum verbum Ioannis a sanctis communiter mystice exponitur (4) », quia humanitas assumta *calceamento* designatur, quod *in Idumaeam* legitur ipse Dominus *extendisse* (5).

« Adhuc ponamus, quod Christus in pueritia vel ante trigesimum annum, quo baptizatus est, calceamenta habuerit, non tamen ea habuit, post-

---

1) *Ordinaria* ex Beda, l. VI *in Luc.* 22, 35 sq.

2) I *Comment. in Matth.,* 3, 11.

3) As addit: « Synaeresis quaedam figura est, qua aliquid dicitur conditionate, scilicet, quando aliquid dicitur, ac si poneretur, quod non ponitur ».

4) Ita Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 2 n. 22.

5) Ps. 107, 10.

quam talia discipulis interdixit, qui *coepit facere et docere* (1) ». Unde supra habitum est ex Hieronymo (2): « Non potuit habere Dominus quod prohibuerat in servis ».

Hoc etiam patet Lucae 7 (3), ubi mulier peccatrix *coepit rigare lacrymis pedes Domini et capillis capitis sui tergere et ungere unguento;* propter quod Dominus in excusationem peccatricis in pharisaeum retorsit offensam, qui *aquam suis pedibus non impendit;* quae peccatricis excusatio nulla fuisset vel etiam pharisaei correptio, nisi ipse Dominus nudis pedibus incessisset (4).

Unde et Origenes VI *Ecclesiasticae historiae* (5) legitur multis annis nudis incessisse vestigiis, quia ipse Dominus discipulis calceamenta inhibuit et per consequens ipse fecit. Item, Gregorius Nazianzenus libro *De reconciliatione monachi* (6): « Desiderabam, inquit, videre sanctum illum et psallentem chorum, qui ad exemplum melioris vitae omnibus vivunt, in quibus ipse habitus praefert virtutum insignia, pedes nudi et apostolicis similes etc. ».

1) Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, l. c.
2) Epist. 22 n. 19.
3) V. 44.
4) Bonav., l. c. n. 17.
5) C. 3.
6) Orat. 6 (alias 12).

Quod autem de Actibus obiecisti solutum est. Interlinearis autem glossa praeallegata, quae « nullius est auctoritatis (1) », si veritatem habet, oportet ad textum eius restringere intellectum, in quo sermo est non de omni calceamentorum genere, sed tantum de caligis, quae sunt sandalia, ut dictum est.

Et cum dicit: iubente angelo etc., oportet, quod iussio ad mysterium referatur, illud scilicet, de quo ad Ephesios 6 (2) dicit apostolus: *Calceati pedes in praeparatione evangelii.* Ibi enim virtus praecipitur, quae in sandaliis significatur, secundum glossam (3).

Diligentius tibi obiecta de calceamentis exposui, quia qui in verbo evangelico quocumque habet cum pertinacia erroneum intellectum haereticus est censendus. Nec te moveat, quod quidam dicunt, se in libro *83 Quaestionum* Augustini reperisse quaestione 84, Christum habuisse calceamenta; non, inquam, te moveat, cum scias, eundem libro I *Retractationum,* capite penultimo, posuisse nomina et numerum illarum 83

1) Bonav., l. c. n. 17 et *Apol. paup.,* c. 10 n. 7.
2) V. 15.
3) Petri Lomb. in hunc locum.

quaestionum, in quarum nulla tale aliquid continetur. Impium est enim pro defensione mendacii sancto imponere falsitatem, quae de nulla parte evangelii trahi potest etiam apparenter; quamquam si, quod absit, sanctus Augustinus penitus hoc sensisset, magis tunc standum esset manifesto textui et aliis omnibus de hoc loquentibus pene doctoribus graecis et latinis quam sententiae repugnanti; sicut nec eius sententia tenetur de altari thymiamatis, quod esse ponit intra velum sancti sanctorum, ut patet Exodi trigesimo (1).

Nec ipse sicut doctor catholicus sibi vult in talibus adhaereri, dicens in *Epistola ad Fortunatum* (2): « Neque, inquit, quorumlibet expositiones quamvis catholicorum velut scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat in eorum scriptis aliquid improbare atque respuere, si forte aliter senserint, quam veritas habet; talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum ». Haec Augustinus (3).

1) V. 35, cum glossa *ordinaria* in hunc locum, ex August., *Qq. in Exodum,* q. 136.

2) Potius in *Epistola ad Fortunatianum*, epist. 148 (alias 111) c. 4 n. 34.

3) Cfr. Bonav., l. c. n. 23.

His a Seniore sufficientissime expositis, videns districtionis Christi viam perfectioribus propositam imitandam in praenominatorum fratrum minorum vita et habitu refulgere, Christi ignitus desiderio in ipsorum me confestim transtulissem consortium, nisi quidam me obices retardassent. Quae dixi explicans Seniori; cum, inquam, Dominus inhibuerit discipulis possidere pecuniam et portare, non sunt fratres minores Christi discipulis similes, qui « videntur ut alii pauperes recipere communiter sibi pecunias erogatas; si enim ille facit, cuius auctoritate fit, ipsorum autem auctoritate pro libitu eorum suis familiaribus videtur missa pecunia commendari, extra etiam plerumque, ut videtur, dantium potestatem; recipiunt igitur pecuniam manifeste (1) ». Respondit Senior: Falleris, inquiens; non recipiunt pecuniam; nam in eorum, quam vovent, regula praecipitur, ut per se vel per interpositam personam non recipiant pecuniam ullo modo. Et, licet pro eorum necessitatibus alicui familiari eis vel extraneo pecunia deputetur, non tamen ipsi eam recipiunt, quia non ipsorum auctoritate aliquatenus custoditur, sed auctoritate eleemosy-

1) Paucis mutatis Bonav., l. c. c. 4 n. 16.

nam facientis, qui potest eam repetere, quandocumque vult, donec sit pro fratrum necessitatibus commutata. Manet ergo semper in bonis illius, qui pecuniam destinavit. Dicit enim lex (1) quod « rem in bonis nostris intelligimur habere, quoties possidentes exceptionem aut amittentes ad recuperandam eam actionem habeamus ». Igitur nunquam est pecunia illa extra ius et potestatem destinantis, quia semper potest eam repetere sicut suam. Cum igitur dare et recipere opponantur, sicut nullus dat complete, nisi qui intendit se privare rei datae dominio, sic nullus eam recipit per se vel per alium, nisi qui intendit sibi dominium per se vel per alium in ea accipere proprium vel commune. Unde versus:

Non tibi dat quisquam nisi quo vult expropriari.
Nec tu quid recipis, si nolis ei dominari.
Namque recepta data sibi sunt adversa relata.
Dans sua privatur, recipit qui post dominatur (2).

Sed ponamus, quod servus notus domino tradat pecuniam erogatam fratribus alteri ignoto eidem fratrum consilio et assensu; ex tunc videtur pecunia a fratribus recepta per interpositam

1) L. XLI Digest. tit. 1 lex 52.
2) Cfr. Bonav., l. c. n. 16.

personam. Et dico, quod non; quia lex dicit (1), quod « traditio nihil amplius transferre debet vel potest ad eum, qui accipit, quam est apud eum qui tradidit ». Cum igitur primus domini servus teneret eam auctoritate domini, tenet secundus et etiam centesimus, si tot manibus inferatur, quia semper est salva fratrum intentio in nullo dominio pecuniae acquirendo; salva est etiam destinantis pecuniam intentio, qui intendit per omnem modum honestum et fratribus acceptabilem et possibilem eorum necessitatibus providere. In his tamen semper necesse est, ut semper mala species devitetur.

Quod si dixeris, quod dans intendit se privare pecuniae destinatae dominio, fateor, quod intendit, sed illo modo, quo potest pro fratrum necessitatibus commutari; nec enim « intendit eos, quos vult habere ad Deum intercessores, constituere dono suo praevaricatores (2) ». Donec ergo in fratrum necessitates translata sit pecunia, manet in bonis domini eam destinantis. Simile dicit lex (3): « Quod, inquit, si ab initio, cum depone-

1) L. XLI Digest. tit. 1 lex 20.

2) Bonav., l. c. n. 21.

3) L. XII Digest. tit. 1 lex 10.

retur apud te pecunia, uti tibi, si voles, permisero, traditam (1) non esse ante quam sit mota »; ergo eadem ratione in proposito, si dare tibi pecuniam decrevero, si velis, non intelligitur data esse in effectu, donec sit modo licito intentione donantis pro fratrum necessitatibus commutata; fratres igitur sic missam non recipiunt pecuniam velut possessionem per se vel per interpositam personam; nec etiam, si ipsorum, quod absit, custodiae propriae mancipetur, si non intendat sibi ius acquirere, nec eam a mittentis dominio elongare. Dicit enim lex (2), quod « in amittenda vel acquirenda possessione affectio eius, qui possidet, est intuenda; itaque si in fundo sis et tamen nolueris eum possidere, protinus amittes possessionem ». Dicit etiam lex (3), quod « furiosus non potest incipere possidere, quia possidendi affectum non habet ». Cum igitur fratrum sit voluntas, nullum sibi dominium aut ius acquirere vel possessionem, cuicumque ipsa pecunia commendetur, non ipsi eam recipiunt possessorie ullo modo. Dixi possessorie, quia non est eis interdictum, quin possint custodire pecuniam alienam.

1) Text. orig. *creditam*.

2) L. XLI Digest. tit. 2 lex 3.

3) L. XLI Digest. tit. 1 lex 20.

Sic de donatione intellige viventium, sic de legatis etiam mortuorum. Haec est tamen differentia, quoniam vivente domino eleemosynam destinante, semper eam cuicumque pro fratrum necessitatibus commendatam, donec translata sit, potest repetere sicut suam, qui potest mutare etiam voluntatem; sed in bonis legatis aliter est, quia voluntas mortui immutabilis est. Unde si contingat, exsecutores pecuniam legatam ac alicui amico fratrum pro ipsorum necessitatibus deputatam malitiose repetere, non est eis restituenda, cum testatoris sint contrarii ultimae voluntati, et tamen manet pecunia in bonis defuncti, ut supra de alia dictum est, donec sit pro ipsorum necessitatibus commutata, quia huiusmodi morientis fuit intentio sic eam legare fratribus, ut posset licite ipsorum indigentiae vel necessitatibus subvenire. Quod si exsecutores nolint pecuniam fratribus legatam alicui fideli pro fratrum subsidio deputare, possunt fratres licite ac sine perfectionis laesione fraudem defuncto factam in talibus denuntiare praelatis ecclesiae, sed non eam possunt iudicialiter repetere sicut suam (1).

1) Cfr. Bonav., l. c. n. 18.

Non ergo recipiunt pecuniam, praesertim, quia ipsum nomen pecuniae possessionem sonat; propter quod Iupiter secundum fabulas *pecunia* appellatus est, quia eius sunt omnia, ut sanctus docet Augustinus, *De civitate Dei* VII, capite 11 et 12. « Unde, cum sint divitiae caelestes et terrenae, pecuniae tamen nomen tantummodo terram sonat; unde nomine pecuniae ‚deus vilissime et contumeliosissime nuncupatur', cum tamen recte dicatur dives », ut haec ibi dicit omnia Augustinus (1).

Dices forsitan (2), quod fratres utuntur pecunia vendendo et emendo, utuntur etiam aliis pluribus; quae ipso usu consumuntur; in talibus autem secundum leges usus non distinguitur a dominio: ergo fratres rebus huiusmodi dominantur.

Ad quod ego respondeo, quoniam quidam utuntur rebus auctoritate *sua* ut veri domini, quidam auctoritate *aliena* ut servi, quoniam lex (3) dicit, « quod vestis, qua utitur servus, de peculio domini est »; et alia lex dicit (4), quia « quod

1) Cfr. Bonav., l. c. n. 20.
2) Cfr. Bonav., l. c. c. 6 n. 6 et 11.
3) L. XV Digest. tit. 1 lex 26.
4) II Instit. tit. 9.

servo acquiritur domino acquiritur ». Fratres igitur minores servos se pro Christi nomine exhibentes, quo se ulterius in hac parte deiiciant non habentes, utuntur rebus alienis in aliena positi potestate *sicut peregrini et advenae* (1) in hoc mundo, ipsum in hoc altissimum Dominum imitantes, qui *formam servi accipiens* (2) « cibo vescebatur alieno », ut dicit Hieronymus ad Nepotianum (3). Et certum est, quod ipse maior factus declinans ad manendum extra domos alienas *non habebat, ubi caput* suum sanctissimum *reclinaret* (4).

Habent ergo fratres ipsi, de quibus loqueris, rerum quarundam usum communem, sed nullum habent rerum dominium proprium vel commune.

Et quia super praedictis in ordinis principio quaedam inter fratres haesitatio est exorta, papa Gregorius IX, qui se de regula dicit nosse sancti Francisci intentionem (5), omnem detegens ambiguitatem mentem ipsius regulae aperit in haec verba: « Dicimus, quod nec in communi nec in speciali debent proprietatem habere, sed utensi-

1) I Petr. 2, 11. 2) Phil. 2, 7.
3) Epist. 52 (alias 2) n. 11. 4) Luc. 9, 58.
5) Bulla *Quo elongati* de 28 sept. 1230.

lium et librorum et eorum mobilium, quae licet habere, ordo usum habeat. Nec vendi debent mobilia vel extra ordinem commutari aut alienari quoquo modo, nisi ecclesiae romanae cardinalis, qui pro tempore fuerit ordinis gubernator, generali seu provincialibus ministris auctoritatem super hoc praebuerit vel assensum ». Ex his patet, mobilium huiusmodi dominium, quibus ordo utitur, a datoribus ipsorum vel pecuniae, qua sunt empta, transferri et omni modo ad sedem apostolicam pertinere.

Item, de usu pecuniae dicit idem (1): « Si rem sibi necessariam velint fratres emere vel solutionem facere pro iam emta, possunt vel nuntium eius, a quo res emitur, vel aliquem alium volentibus sibi eleemosynam facere praesentare, qui taliter praesentatus a fratribus non est eorum nuntius, licet praesentetur ab ipsis, sed illius potius, cuius mandato solutionem facit seu recipientis eandem. Si vero pro aliis imminentibus necessitatibus praesentetur, eleemosynam sibi commissam potest sicut dominus apud specialem vel familiarem amicum fratrum deponere per ipsum,

1) Scil. Gregor. IX, Constit. *Quo elongati;* vide Bonav., *Apolog. paup.*, c. 11 n. 13.

loco et tempore pro ipsorum necessitatibus, sicut expedire viderit, dispensandam (1) ».

Dixi exhilaratus valde iterum Seniori: Vere mihi obscura sole clarius declarasti, sed intelligere nequeo, quod saltem hi, de quibus loqueris, proprietatem rerum immobilium, quibus necesse habent uti, non habeant in communi, cum nullo modo videantur ad sedem apostolicam pertinere. Video enim, frequenter eorum monasteria et domicilia exstrui super solum principum et baronum et eorum sumtibus fabricari, et si fratres aliquando transferuntur, praedicta loca bonis illorum cum aedificiis applicantur. — Respondit Senior (2): Scire te volo, fili, quod domus fratrum, de quibus, ut video, quaesivisti, aliquando fundantur super solum alicuis domini, cuius etiam pecunia eriguntur, et non est dubium, proprietatem domorum apud hos residere, aliquando vero super solum unius et expensis alterius construuntur; et tunc scias, proprietatem soli apud alterum et proprietatem aedificii apud eum pertinere. Si vero de communibus eleemosynis liberaliter

1) Quae sequuntur usque *ad quos noscitur pertinere* desunt in As.

2) Cfr. Bonav., *Epist. de 3 quaest.*, n. 8.

erogatis aedificia construantur, cum personae offerentes non sint certae, nec intendant in aedificiis proprietatem habere aut acquirere ullo modo, horum proprietatem dico ad soli dominum pertinere, ut lex (1) dicit. Et hoc est quod dicit papa Gregorius (2): « Salvo locorum et domorum dominio illorum, ad quos noscitur pertinere ». Haec verba sunt papae non regulam relaxantis, sed, ut ipse dicit (3), « intentionem beati Francisci, quam noverat », declarantis, quamvis sine papali declaratione ex rigore iuris civilis pateat ipsius regulae possibilitas et observantia ex praedictis consona vitae fratrum; et impium est dicere (4), eam non posse a fratribus observari, cum etiam dicat lex (5), quod « benignius interpretandae sunt leges, quo earum voluntas conservetur », et iterum (6): « In ambigua voce legis ea potius accipienda significatio, quae vitio caret ». Igitur, cum usus pecuniae supradictus fieri possit absque fra-

1) L. XLI Digest. tit. 1 lex *Adeo quidem* (7) § *Praeterea.*

2) Gregor. IX in praeallegata Constit. *Quo elongati.*

3) Loco in nota praecedenti allegato.

4) Cfr. Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.,* in confirm. reg.

5) L. I Digest. tit. 3 lege 17. 6) Ibid., lege 18.

trum receptione, ipse est (1) intelligendus in lege (2) et regula supradicta. Potest igitur sine ullo scrupulo fratrum minorum regula taliter observari. Quod, si quis dixerit, ipsam regulam, quae est apostolicum mandatum (3), servari non posse sine crimine, haereticus est (4), cum sit approbationis apostolicae impugnator. Si quis etiam dixerit, praedicti Gregorii papae IX sententiam non esse de mente regulae, et ipse eadem ratione haereticus est censendus, cum constet, papam contrarium affirmare; haereticus, inquam, sicut patet XXII distinctione, cap. *Omnes* (5), et cap. *Sacrosancta* (6).

Forte adhuc dices (7), quod in hoc ipsi fratres statum cleri communiter non excedunt, quia dicit lex (8), quod « quae divini iuris sunt in nullius bonis sunt », omnia autem bona ecclesiastica divini iuris sunt: ergo tantum usus eorum est clericorum, et non dominium, ut videtur.

---

1) L *ipse etiam.* 2) L addit *fratrum.*

3) Cfr. Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, in confirm. reg.

4) L addit *secundum Ieronymum de fide catholica.*

5) C. 1. 6) C. 2.

7) Cfr. Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 6 n. 3.

8) L. I Digest. tit. 8 lex *Summa rerum divisio.*

— Sed adverte, quod *Domini est terra et plenitudo eius* (1); bona autem ecclesiae dicuntur eius specialiter: et quia sunt ministrorum suorum usibus immobiliter consecrata, et quia « ,in nullius bonis sunt' proprietarie, quia nullius sunt proprie personae, sed in communi eis ecclesia dominatur (2) ». Lege quod scribitur XII q. 1 c. *Videntes* (3), textum et glossam.

Dices forte: in hoc ecclesiae romanae fratrumque ipsorum commercio derogari, dum titulum dominii, quem pro perfectione refugiunt, in romanam ecclesiam refundentes imperfectionis ei maculam impingunt indiscrete, quod est temerarium et profanum. — Sed huic, si recolis, calumniae, est in superioribus (4) satisfactum, quoniam possidere tantum pro aliis perfectioni non repugnat, cum sit ab illo modo, quo Dominus habuit loculos, cum facto et facti circumstantia exemplatum. Fratres autem pauper-

1) Ps. 23, 1.

2) Cfr. Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 6 n. 8.

3) Scilicet c. 16 C. XII q. 1, ubi explicatur, quare ecclesia habeat possessiones, quod res ecclesiae debent esse in potestate episcoporum, quo nomine censeantur res ecclesiae, necnon poenae in usurpantes statutae.

4) Vide pag. 146 sqq.

tatem ipsius Domini, quam ad se habuit, et qui in maiori parte loculis caruit, ut possibile est fragilitati humanae, sua pauperie imitantur.

Et dum mihi inexplicabiliter Senioris placeret oraculum, subito cordis impetu dixi ei, quod rem pulchram mihi descripsisset, sed suspectam, eo quod nova apud homines videtur; scriptum est enim Ieremiae 6 (1): *Interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona, et ambulate in ea.*

Respondit Senior (2): Non est, inquit, res nova, sed renovata; superius (3) enim est tibi multipliciter declaratum, hanc fuisse vitam apostolorum et ante pro parte gentilium philosophorum, iterum etiam sanctissimorum olim monachorum. Non est igitur haec vita res nova, sed veterum vetustissima, per quam fuit stabilita ecclesia christiana. Haec sunt igitur *parentum magnalia* (4) et verissime vita nova, mentibus aptissima renovandis, Ieremiae 4 (5): *Novate vobis novale et nolite serere super spinas;* glossa (6): « quae suffocant verbum »; certum est, spinis illis divitias figurari.

1) V. 16.
2) Cfr. Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.,* c. 1 n. 3.
3) Pag. 146 et 155.
4) Sap. 18, 24.
5) V. 3.
6) Scilicet *interlinearis* apud Lyranum in hunc locum.

His auditis, magnum refrigerium animae habui, ipsisque fratribus optabam illico sociari; sed quaedam menti meae subito irruerunt, quae meum propositum retardarunt. Ad Senioris igitur recurrens consilium dixi, studium sapientiae me optare plurimum, cuius in illis fratribus impedimenta plurima contemplabar; primo quidem, quia prolixitas officii multum diei naturalis occupans parum relinquit temporis latebris sapientiae exquirendis; secundo, quia regula ipsa (1) videtur studium inhibere, cum dicat: « Non curent nescientes litteras litteras discere »; tertio, quia fratribus videtur ipsa regula laborem imponere corporalem (2); quarto, quia eis rerum omnium (3) et per consequens librorum inhibet appropriationem; sine certis autem libris et appropriatis non potest studentis memoria efficaciter confoveri.

Respondit Senior: Obsecro, ad memoriam revoces praeterita, quibus patet, quod vita ista clarissimorum inter philosophos et, quod est amplius, clarissimorum inter sanctos, utpote apostolorum et Domini eorum, vitam expressissime

1) C. 10.
2) C. 5.
3) C. 6.

imitatur (1). In hoc autem duplici genere hominum constat, omnem humanam et divinam sapientiam illuxisse; nullus igitur status aptior est isto sapientiae acquirendae. Iudas quippe appetens pecuniam perdidit sapientiam; summa igitur a pecunia absolutio dispositio ad sapientiam est in summo.

De prolixitate autem ecclesiastici officii insipienter conquereris, cum non sit tibi tanta cura sapientiae necessaria, quanta fuit illis, qui gubernatores ecclesiae exsistentes ipsum instituerunt officium et simul rexerunt ecclesiam, terminaverunt lites, condiderunt libros, per quos Christi ecclesia gubernatur, ut patet in Gregorio praecipue, qui fuit huius officii institutor. Usque modo etiam romana ecclesia, mittens sapientiam et scientiam toti mundo, omnia maiora dirimens negotia, in illo prolixo officio Altissimum veneratur. Unde ergo tibi, homuncio, laudes appetere breviores? Certe acedia, inertia, praesumtio et insipientia fecerunt talia cogitantibus phantasias huiusmodi parturire. Pro certo enim teneas, praeclarum esse laudum meritum divinarum, et

1) Cfr. Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 1 n. 3 et *Sermo sup. regul.*, n. 15.

per consequens brevitas laudum brevitatem arguit meritorum (1).

In secundam autem obiectionem improvide prorupisti, quoniam ibi laicos ad studium ineptos, nescios litterarum, cohibet a cura temeraria litterarum (2). Nec potest hoc ad clericos referri; cum regula (3) praedicatores instruat, « ut sint examinata et casta eorum eloquia, virtutes et vitia, poenam et gloriam nuntiando », certe necesse habent studio intendere qui debent verba examinare et virtutes invicem et a vitiis distinguere, quia virtutes et vitia aliquando subtiliter metiuntur.

Quod (4) etiam de labore manuum tetigisti, in nullo debuit te movere; dicit enim regula (5): « Fratres, quibus dedit Dominus gratiam laborandi, laborent », nec dicit: Fratres omnes laborent, nec dicit: Fratres, quibus dedit Dominus gratiam docendi, ipsa exclusa, laborent; quia, si hoc dixisset, contraria illi esset, qui dixit I Petri 4 (6): *Unusquisque, sicut accepit gratiam,*

---

1) Cfr. Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 3 n. 2.

2) Ibid., c. 10 n. 6.

3) C. 9. — Vide *Epist. de 3 quaest.*, n. 6.

4) Quae sequuntur habentur *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 5 n. 1 sq.

5) C. 5.

6) V. 10.

in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei. Ad haec ergo attendas, quod labor, de quo in regula dicitur, ad tria ordinatur, scilicet ad otium excludendum, ad devotionis spiritum nutriendum et ex mercede laboris ad corporis necessaria perquirenda. Per corporeum autem laborem otium a corpore excluditur, non a corde; solent enim laborantes in corde versare turpissima, quae solent et in eorum labiis resonare. Propter quod *corporalis exercitatio ad modicum utilis est* (1), spiritualis autem plurimum, quae cordis excludit otium, *frequensque meditatio carnis est afflictio,* ut dicitur Ecclesiastae 12 (2). Hoc autem exercitium praecipue videtur imponere qui dicit (3): « Laborent ita, ut excluso otio, animae inimico » etc. Ex ipsa autem meditatione et spiritus exercitatione spirat devotio iuxta illud (4): *In meditatione mea exardescet ignis.* — Merces autem laboris nulla acquiritur salubrius quam illa, de qua dicitur Lucae 10 (5): *Dignus est operarius mercede sua.* Et tamen expedit, ut qui maiorem

---

1) I Tim. 4, 8. 2) V. 12.
3) Regula c. 5. 4) Ps. 38, 4.
5) V. 7. — Cfr. *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 5. n. 3.

gratiam minime receperunt (1), exerceantur corporaliter secundum gratiam sibi datam. — Quod autem de libris tetigisti, in supradictis (2) est expositum; quoniam fratres possunt et debent habere usum librorum doctrinae necessariorum, qui personis ad doctrinam idoneis deputantur, nec tamen appropriantur, ita quod in proprietatem ordinis redigantur, cum sint iuris, ut dictum est, alieni.

His a Seniore auditis, quia de praedicatione respondendo tetigit, ego autem veritatis amore optabam me praedicationis officio consecrare, super hoc taliter inquisivi: Adventitium est, inquiens, illi ordini officium praedicationis, nec essentialiter illis fratribus competit praedicare; melius igitur hoc officium in statu alio exercebo. — Item, pedum nuditas exitum ad praedicandum videtur hiemali tempore prohibere; illa igitur nuditas impedimentum esse videtur praedicationis et aliorum bonorum, quae solent per pauperes procurari. — Ad haec, praedicantibus vitae exemplum est necessarium, esusque carnium pars magna est voluptatis saeculi; non potest igitur tali vita praedicata austeritas poenitentiae confirmari.

1) L *perceperunt*. 2) Pag. 176.

Respondit Senior (1): Magna, inquiens, cordis miseria primam his tuis inquisitionibus dedit causam. Scito igitur, quod praedicationis officium est ecclesiae et proprium praelatorum; unde et episcopi officium est vacare ,lectioni et orationi et praedicationi', ut dicit canon, 88 distinctione, cap. *Episcopus nullam* (2); praedicationis enim officium implicat non solum vitam et scientiam, verum etiam auctoritatem et iurisdictionem super plebem. Soli autem praelati habent per se et essentialiter, eo ipso scilicet quo praelati sunt, auctoritatem et officium praedicandi; aliis autem non convenit nisi ex commissione apostolica vel aliorum ecclesiae praelatorum. Illis autem convenientius hoc committitur officium ex ratione status sui, quorum religionis institutio et instituentis intentio praedicationis officio plus concordat; religionis, inquam, institutio, quia extraneum videtur omnino statui monachorum praedicare, quia nec habent hoc ex regula nec statuto, et tamen bene faciunt, cum canonice missi praedicant, si eis vita et scientia suffragentur, quod tamen non

1) Cfr. Bonav., *Apolog. paup.*, c. 12 n. 9 sqq. et *Epist. de 3 quaest.*, n. 11.

2) C. 6 D. 88.

competit eis, in quantum monachi sunt, sed in quantum clerici, ut patet ex Hieronymo (1), XVI q. 1 capite *Monachus* (2). Magis tamen hoc competit illis, qui habent ex statutis sui ordinis per sedem apostolicam praecipue confirmatis. Maxime autem hoc convenit illis, qui habent hoc ex regula, quae est professionis religiosae intimum fundamentum, maxime, si eadem regula est per sedem apostolicam confirmata. Sic autem est in statu fratrum illorum, de quibus loqueris, sicut ex tenore suae regulae patet, in cuius nono capitulo circa praedicationis officium tangitur ipsius ingressus, progressus et effectus. Cum autem vita ipsorum sit vitae apostolorum, principalium scilicet praedicatorum, simillima, nullis magis quam ipsis competit praedicare (3). Quod si intentionem instituentis requiras, quamvis ex regula pateat, scito tamen, quod ante datam regulam fuit institutori ordinis, scilicet beato Francisco, talis vitae series inspirata; unde de ipso canitur (4):

1) *Contra Vigilant.*, n. 15: « Monachus non docentis, sed plangentis habet officium ».

2) C. 4 C. 16 q. 1.

3) *Epist. de 3 quaest.*, n. 3. — *Apolog. paup.*, c. 7 n. 5. — *Determinat. quaest.*, p. I q. 2.

4) *Officium S. P. Francisci*, ant. 1 ad Laudes.

« Sanctus Franciscus praeviis orationum studiis, quid faciat, instructus, non sibi soli vivere » etc.; et etiam ante datam regulam papa Innocentius III ei et fratribus iussit praedicationis officium exercere (1). Habent ergo fratres illi praedicationis officium nullorum aliorum imitatione vel occasione religiosorum, sed ex intimo status sui.

De pedum autem nuditate frustra loqueris, cum nudis pedibus fuerit fidei veritas per orbis latitudinem promulgata (2). Unde Hieronymus in *Epistola ad Geruntiam* (3) dicit: « Discipuli toto orbe peregrini non aes in zona, non caligas habuere in pedibus » ; ex quo Hieronymi verbo patet, quod calceamentis (4) caruerunt per totum mundum eundo et non tantum praedicando in Iudaea. Cuius tamen contrarium quidam aliquando perperam af-

---

1) Quando Innocentius III « sine bulla » primam regulam S. Francisci confirmavit, « dedit de poenitentia praedicanda mandatum » (Bonav., *Legenda S. Francisci*, c. 3. n. 10). Cfr. I Celano p. I c. 13; II Celano p. I c. 11. — Cfr. etiam c. 17 primae Regulae (*Bibl. Franc. Asc.*, t. I. pag. 46).

2) Pro sequentibus cfr. Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 2 n. 18.

3) *Epist.* 123 (alias 11), n. 15.

4) L addit *apostoli*.

firmavit (1). Non igitur de nudis pedibus terrearis, sciens, quod pedum nuditas vehemens est corporis afflictio et efficax exemplum ad poenitentiae stimulum in aliis excitandum (2). Discas tamen cum ipsis servire Domino more apostolico *in frigore et nuditate* (3), praesertim, quia nullus est orbis angulus, ad quem christianis pateat accessus, sive inter Tartaros sive inter Graecos sive inter barbaros aut etiam saracenos, quem fratres ipsi non visitaverint, in quo fructum non fecerint animarum (4); unde et undecimum ipsius regulae capitulum de euntibus inter saracenos loquitur et alios infideles. Ad haec advertas, quod regula (5) ipsa pro « manifesta necessitate vel infirmitate » non solum calceari permittit, verum etiam equitare, quae remedia infirmis sunt plerumque pedibus necessaria, in aestate plus quam in hieme, pro eo, quod « calor fortius comprimit terrae glebas quam frigus, et crescit asperitas caloris, ascendente sole, quando decrescit asperitas ex

1) Cfr. Bonav., *Epist. de sandal. apost.*, praesertim notam 1.

2) Cfr. Bonav., *Apolog. paup.*, c. 10 n. 8.

3) II Cor. 11, 27.

4) Cfr. Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 2 n. 18.

5) Scil. c. 2 et 3.

algore (1) »; et hoc poteris, cum volueris, experiri.

Circa vero quaesitum de carnibus attendas (2), quod poenitentiae professoribus convenit, ut patitur fragilitas, esum carnium omni tempore declinare, et hoc exemplo ecclesiae, quae temporibus poenitentiae solet a carnibus abstinere. Ipsis autem fratribus competit ex altitudine paupertatis victus et vestitus delicias fugere et servata cogitationis innocentia non iudicare nec despicere illos, quos uti conspiciunt delicatis (3); propter quod fratres ipsi statutum habent sui capituli generalis (4), ne interius carnes comedant praeter debiles et aegrotos. Sed quia pauperibus cum obsecratione loquentibus expedit, non fieri se recipientibus onerosos, ideo dicitur in regula (5) non alia quam evangelica sententia, ut liceat eis per mundum euntibus de appositis manducare; unde I ad Thessalonicenses 2 (6): *Cum possemus vobis oneri esse ut Christi apostoli* etc. Ad illos igitur, qui apostoli non sunt nec eis auctoritate succe-

1) Cfr. Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 2 n. 18.
2) Ibid., n. 26.
3) Regula c. 2.
4) Cfr. *Constitut. Narbon.*, rubric. IV.
5) C. 3.
6) V. 7.

dunt, non pertinet se exhibere fidelibus onerosos, et per consequens tanto melius faciunt pauperes huiusmodi, quanto in mensis alienis vilioribus et paucioribus inter apposita sibi contenti sunt, aedificationem aliorum et paupertatis debitum ut regulas imitantes. Et per experimentum scio, quod carnibus appositis strictissime uti, ut decet paupertatis sanctissimae professores, plus longe affligit esurientem quam, carnibus non gustatis, se in aliorum ciborum genere satiantem; et sic agere longe similius est illius vitae, qui in deserto ieiunavit districtissime et inter homines eis in cibis conformiter condescendit (1), quam a foris abstinentiam praetendere et eam interius relaxare (2). Propter quod Gregorius (3) super illud Iob (4): *Sternet sibi aurum quasi lutum,* dicit: « Dum virtus innotescit hominibus, proculdubio laudatur eiusque laus inhianter appetitur; unde fit, ut haec ipsa virtus ante Dei oculos virtus non sit, dum abscondit quod displicet ei, prodit quod placet. Quae itaque esse merita apud Dominum possunt, cum mala occulta sunt et bona publica »?

1) Matth. 4, 1 sqq. et c. 11, 9 et 19.
2) Cfr. Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.,* c. 2 n. 26.
3) Lib. XXXIV *Moral.,* c. 15 n. 29.
4) C. 41, 21.

Haec Gregorius. Pro certo igitur teneas, formam illam, quam ipse Dominus servavit et in apostolis commendavit, esse prae ceteris sanctiorem, et si bene servetur, ad movenda corda prae ceteris efficacem et remotiorem a periculo hypocrisis, quam prae ceteris vitiis Dominus in evangelio confutavit. Hoc etiam pro certo teneas, in alia vivendi forma plurimos, ut aestimo, Deo placentes cordis innocentiam custodire.

His auditis, quievit animus meus; sed optabam amplius in huius vitae proposito consolari. Dixi igitur Seniori, ut mihi, data responsione, illius ordinis vitam et ordinem explicaret (1); dixi itaque: Dicito mihi, si ordo iste aliquibus visionibus est praeventus. Dicito insuper, si liceat ordinem hunc professo ad alium se transferre, vel etiam, si liceat huic ordini obligato ad manendum in eo ingredi (2) aliquem aliorum. Summarie etiam ostende, qui sint mores, quibus se debent fratres illius ordinis, duce gratia, coaptare.

Respondit Senior subridens: *Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi draco-*

1) A et F *in duobus exhibito responsali... impetraret.*

2) A et F *obligatum aliquem ad manendum in eo ingredi.*

nes (1), et magno haustu venti plurimum sunt inflati qui in somniantium visionibus gloriantur; unde dicit Sapiens (2), quia *somnia extollunt imprudentes; multos* enim *errare fecerunt somnia.* Nec sic hoc dixerim, ut penitus repellendas aestimem visiones, praecipue sanctorum, quos non decipit phantasia. Si igitur sancti Francisci vitam velis aspicere, ibi visiones non aniles, sed certissimas ac sanctissimas reperies abundanter. Certius autem omni visione reputes vitam evangelicam apostolis expresse commendatam incommunicabili signaculo crucifixi, scilicet stigmatibus, in beati Francisci corpore confirmatam. Hunc existimo, salvis aliis mysteriis, hominem sextae diei ad imaginem Dei factum (3), hunc et angelum sexti sigilli tempore *a solis ortu ascendentem,* signum Dei mortalibus praeferentem (4). Hic est filius Iacob minimus, Beniamin scilicet, in cuius sacco calix Ioseph aureus invenitur (5); in cuius tribu Ierusalem habet situm (6). Hic est Aaronita Caath, cuius filii portantes propriis humeris se-

1) Ier. 14, 6. 2) Eccli. 34, 1 et 7.
3) Vide Bonav., *Serm.* 3 de S. P. Franc.
4) Apoc. 7, 2. 5) Gen. 44, 12.
6) Ios. 18, 28.

creta sanctuarii, *plaustrum et boves* in adiutorium minime receperunt (1); Caath interpretatur poenitentia (2). Hic est Othoniel (3), qui interpretatur signum Dei, frater Caleph minor; Caleph (4) enim canis interpretatur, apostolos signans, iuxta illud (5): *Lingua canum tuorum* etc.; hic percussit Cariat Sepher (6), qui interpretatur civitas litterarum, qui sibi abscondita *sapientibus et prudentibus* (7) meruit revelari. Hic est certe canis Tobiae (8), idcirco cum cauda sua ludendo praeveniens revertentem, qui proficiscentem sequebatur, quia in forma apostolicae praedicationis, quae ascendentem Dominum est secuta, ipse praedicationis clamorem instituit apostolico similem, lupos a grege Domini decernentem; et cum cauda ludens perseverantiam ordinis usque in finem temporis

---

1) Num. 7, 9.

2) Cfr. Hugo a S. Charo in Matth. 13, 11.

3) Ios. 15, 16 sq. Vide Origen., *Homil.* 20 in librum Iesu Nave, n. 6: « Gothoniel, qui accepit civitatem litterarum, interpretatur *responsio Dei* ». Cfr. etiam eiusdem *Homil.* 5 in Exod., n. 2.

4) Hieron., *De nom. hebr.*, in Num.

5) Ps. 67, 24.

6) Vide Hieron., *Epist.* 108 (alias 27), n. 11.

7) Matth. 11, 25.

8) Tob. 11, 9.

praesagivit reversionem iudicis praecurrendo (1). Hic est procul dubio Medus aurum nolens nec argentum requirens (2). Has et alias in se figuras implevit innumeras, sicut nosse poteris, si inspector diligens fueris scripturarum.

Ad secundo quaesitum tibi respondet papa in regula (3) ita dicens: « Nullo modo licebit eis de ista religione exire, quia secundum sanctum evangelium (4) *nemo mittens manum ad aratrum et aspiciens retro aptus est regno Dei* ». Quae sententia invalida esset, nisi in ista religione professis esset retro aspicere in quamcumque aliam religionem ingredi et minus Deo persolvere, quam in ista promiserunt. Ex quo sequitur, quod nullus ab ista voluntarie discedens voluntarieque extra persistens in statu salutis exsistere est credendus. Quod si aliquis voluntarie egressus vel eiectus agat totis viribus perseverando longanimiter, ut iterum ad ordinem admittatur, si haec gratia sibi denegetur, ex tunc poterit in aliquo alio discretionis magnae se salvare, si tamen, quantum in se est, semper in revertendi proposito perseveret.

1) Cfr. Thom. de Eccleston, Coll. 13 in ***Anal. Francisc.***, t. I p. 245.

2) Vide Tob. 12.

3) Cap. 2.

4) Luc. 9, 62.

Iam patet, quid de obligatis etiam est dicendum; quoniam cum vota et iuramenta sint inviolabiliter observanda, nisi aliquid dispensative fiat digne recompensans (1), peccant mortaliter huic ordini obligati, cum in alio profitentur cum proposito in eo finaliter remanendi, cum in nullo alio, ut supra patet (2), evangelica perfectio sit aequalis. Peccant etiam eos circumvenientes, sicut *praegnantes Galaad dissecantes* (3), et ad restitutionem obligantur, ut aestimo, coram Deo; et frustra mandatis apostolicis impetratis mediis mendaciis se tuentur (4).

Vitae tandem formam tibi breviter perstringo, quam debes, si velis illum intrare ordinem, observare. In primis teneas, te virtute esse debere magnanimum, ut non tibi sufficiat virtutes servare secundum quemcumque gradum, sed nitaris ad virtutum apicem, ut est possibile, in omnibus convolare. Hoc in sexcupartita tibi per-

1) Ita A et F; L *nisi propter dignam recompensationem fiat per superiorem rationabiliter dispensantem, si adest facultas et aetas.*

2) Pag. 157, 183, 193. 3) Am. 1, 13.

4) Cfr. Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 2 n. 13 sq.

fectione declaro, quam puto in sex alis seraphim significatam fuisse, qui beato Francisco apparuit crucifixus. — Primam tibi virtutem praefert regula *obedientiam,* non quamcumque, sed quae illam Domini nostri aemuletur, ut patitur humana fragilitas, qui usque ad mortem Patri humiliter obedivit (1). Cum igitur obedientes alii soleant obedire salva stabilitate ad locum et non supra regulam, quam voverunt, scito, tibi nullum ius esse in loco, nec tibi in aliquo loci ambitu obedientiam terminari (2). Scito, te nihil tolerabile posse asserere supra ius obediendi esse, nisi sit contrarium regulae et saluti tuae generaliter vel ex evidenti causa aliqua speciali. Scito insuper, quo est asperius, humilius, carni horribilius, quod tibi continget obedientialiter imponi, eo ad ipsum debes esse paratior ex animo; obedientias vero favorabiles debes pro viribus declinare (3). Et hoc est perfecte obedire, ad quod obligaris; hoc enim est obediendo sanctum evangelium observare. Sicque tibi prospicias, ut, quidquid fa-

1) Cfr. Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.,* c. 1 n. 6 et 5.

2) A et F *firmari.*

3) Cfr. Bonav., *Regula novit.,* c. 14 n. 2.

cies, per superioris obedientiam facias, ut, quando bona facis, ex caritatis radice et obedientiae insuper fundamento tibi ex concursu harum duarum virtutum semper meritum duplicetur.

Secundo imponit tibi regula (1), ut *vivas sine proprio* et, ut ex sequentibus in regula patet, in districtissima paupertate, ut nihil haberi patiaris, quod avaritiae incentivum aut lasciviae vel superbiae praebeat ullo modo. Non cellaria, non vinaria, non granaria, non quaecumque promptuaria habeas instaurata praeter illa, quae instans et evidens exigit, non possibilis, sed actualis necessitas manifesta. Non sint domus excelsae, non areae superfluae, non res aliae, ut est possibile, pretiosae. Et, ut breviter concludam, nihil est tibi admittendum, quod sine periculo spirituali valeas devitare; haec enim omnia ad ius pertinent altissimae paupertatis (2).

Tertio tibi *castitas* proponitur in eadem, cui parum sit factum enorme vel suspectum consortium vitare, sed etiam studeas nunquam videre, audire vel alloqui mulierem, ubi possit sine

---

1) Cap. 1.

2) Cfr. Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 6 n. 15 et *Determinat. quaest.*, p. I q. 6.

periculo conscientiae declinari. Hoc etiam totum parum reputa, nisi sit tibi cogitatio lacrymis purgata; omnemque affectum, non solum foedantem, sed etiam aggravantem libertatem spiritus vel trahentem in partem, reputes *a Domino fornicari* (1). In huius fomentum solus tibi luctus sit solatium, ieiunium recreatio, inertiae abominabiles, deliciae horribiles, vigiliae anticipatae et orationes prolongatae amabiles toto corde (2).

Quarto tibi est *humilitas* observanda vilitate vestis et totius conversationis indicio declarata, ut te solum despicias, ac omni homini et statui et praecipue praelatis ecclesiae sic reputes reverentiam te debere, ut verecunderis plurimum, si quem videris te humilius incedentem. Superiores sedes vix coactus admittas, infimas ex corde desideres, laudes tuas sicut cantum audias sirenarum, bona tua vel fratrum nunquam nisi coactus referas; veritatem, cum dicenda est, sine fastu eloquentiae proponas, nullam investigationem tibi ascribas, nec dicas sine dolore cordis verbum, pro quo credas te sanctum debere vel

---

1) Os. 1, 2.

2) Cfr. Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 1 n. 9 et c. 11 n. 3; *Regula novit.*, c. 13.

sapientem ab hominibus reputari. Nec ista tibi pars humilitatis sufficiat, sed ex corde desideres « non humilis praedicari, sed vilis (1) », absque hoc, quod tale aliquid scienter merearis ab hominibus reputari, ubi doctrinae vel aedificationis efficacia non repugnat. Et hanc humilitatis profunditatem sonat nomen minoris, quod sine determinatione dictum, omni homini te substernit (2).

Quinto docetur in eadem regula *simplicitas pacifica,* nullum verbo vel facto laedens, nulli malum pro malo rependens, omnem saeculi implicationem repellens, evectionem vix admittens et mala evenientia studens sicut missa divinitus tolerare. Quod sanctae simplicitati parum est, nisi studeat gravantibus gratiam impendere eosque ex corde diligere et dilectionem facto signoque ostendere et pro transgressoribus exorare. Ad hanc pertinet nihil leve, nihil impetuosum dicere aut facere, sed indivisae studio intentionis quaerere gloriam Redemptoris (3).

---

1) Cfr. Bernard., *Serm.* 16 in Cant., n. 10. — Vide Bonav., *De perfect. vitae ad soror.,* c. 2 n. 1.

2) Cfr. Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 1 n. 2. et c. 4 n. 12; *Epist. de XXV memorial.,* n. 7 sq.

3) Cfr. Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 3 n. 12, et *Sermo sup. regul.,* n. 9 et 32.

Sexto tibi *caritas* imperatur, fratres sine exceptione personarum familiariter, ut res exigit, fovens, infirmis obsequium impendens, delinquentes misericorditer castigans, salutem animarum ignito zelo, infatigabili vexatione corporis, inviolabili sollicitudine cordis in praedicationis officio procurans, et super omnia sanctae devotionis et fervidi amoris nexibus desiderans Domino et eius beneplacitis adhaerere, cum taedio vitam istam agere et optare pro salute hominum manu hostili vitam (1) propriam et sanguinem Altissimo immolare. Quae omnia in praedicta poteris invenire regula (2), si vigilem te ipsi praebueris auditorem.

His auditis Seniori dixi: Omnium, ut intellexi, virtutum apices collegisti; exorsus *a Galaad ad montem me myrrhae et collem Libani* (3) deduxisti; nihil est extra, quod anima mea desideret. *Sunamitidem* (4) mihi demonstrasti *decoram*

---

1) L et A *animam*.

2) Cfr. Bonav., *Expos.* super c. 5, 6, 7 et 9 regulae.

3) Cant. 4, 1 et 6; cfr. pag. 139.

4) Alluditur ad III Reg. 1, 3 sq. et Cant. 6, 3 et c. 4, 4.

ut Ierusalem, ut castrorum aciem terribilem, omni armatura fortium communitam. Hic habitabo, quoniam elegi eam (1), domum sapientiae et virtutis. Sed nunquid vovens regulam vovet haec omnia perfectionis insignia et omnia in ea contenta?

Respondit Senior (2): Fratres omnes vovent profitendo regulam beati Francisci non sic, quod se ad omnia, quae in ea sunt, obligent praeceptorie observanda, cum plura in ea obsecrando et exhortando contineantur manifeste, sed vovent, se regulam observaturos secundum intentionem mandatoris, cuius fuit evidenter intentio, quaedam in regula contentorum imponere obligatorie fratribus, et istorum vovent omnino observantiam; quaedam vero monitorie, et ista non vovent se penitus servaturos, sed ea se habituros pro salutaribus hortamentis. Totam ergo vovent, partim ad observantiam necessariam, partim ad reverentiam disciplinae.

Apprehensa igitur fimbria viri veridici dixi: *Ibo vobiscum; audivi enim, quod vobiscum est*

1) Ps. 131, 14.
2) Cfr. Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 1 n. 3.

Deus (1), *et nomen civitatis* vestrae: *Dominus ibidem.* Et duodecim in ea portas reperi, quia duodecim in fratrum regula capitula continentur; quarum tres sunt ad orientem; prima est religionis inchoatio per evangelii professionem; secunda est inchoatae propagatio per venientium receptionem; tertia est receptorum informatio ad disciplinatam conversationem. — Item, tres sunt ad aquilonem; quarum prima excludit periculum Iudae pecunia abutentis; secunda tollit periculum religionis fictae in otio viventis; tertia amovet periculum multitudinis infirmae pro appropriatis communibus contendentis. — Item, tres sunt ad occidentem; prima dat remedium fratribus lapsis; secunda per generale regimen providet universis; tertia praedicando praebet cibum vitalem omnibus externis. — Item, tres sunt ad austrum, regionem lucis et caloris; quarum prima docet servare omnem virtutum perfectionem, praecipue caritatis; secunda docet servare famae sinceritatem, a macula praecipue foeditatis; tertia sitientibus martyrii agonem do-

---

1) Zach. 8, 23 et Ezech. 48, 35. — Pro sequentibus cfr. Ezech. 48, 31 sqq. et Apoc. 21, 12 sq. et Bonav., *Expos. sup. regul. F. M.*, c. 1 n. 1.

cet infidelibus se iungere, domesticis abdicatis. Quae portae mihi vehementer placuerunt, quae ornatae erant singulae apostolicis margaritis. Et quia *civitatem* vidi *in quadro positam* (1) non posse mutari nec cives eius, cuius *lucerna est agnus*, faciliter caligare et fructibus praescriptis vitalibus abundare, *unam petii a Domino, hanc requiram, ut in ea habitem omnibus diebus vitae meae* (2).

1) Apoc. 21, 16 et 23. 2) Ps. 26, 4.

EXPLICIT CANTICUM PAUPERIS PRO DILECTO.

IMPRIMATUR

Datum Florentiae ex Curia Archiepiscopali, die 9 Decembris 1904.

Can. ALEX. CIOLLI, *Vic. Glis.*

Ex parte ordinis nihil obstat, quominus imprimatur.

Ad Claras Aquas, die 17 Octobris 1904.

Fr. DIONYSIUS SCHULER, *Min. Glis.*